



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XX. De Testibus & Attestationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

Neque tertio, textus *l. Si mater cit.* quia in istius casu ingenuitatis quasi possessionem non induxit fama sola, sed conjuncta cum quinquennii prescriptione, de qua totò titulo agitur; ut ad eò huic proposita dubitationis resolutioni utriusque Juris definitiones patrocinentur potius, quàm aduersentur.

Non magis cum ea pugnat ratio; quia de famæ vi proditam Juris Regulam etiam in his, quæ difficultis probationis sunt, procedere, liquet ex *c. Prætere a 27. de Test. & attest.* quò locò de carnali copula, quæ difficultis est probationis, plenam fidem ju-

dici fama non sola, sed alteri, se solà etiam non sufficienti, probationi accedens facere asseritur, *cit. Felin. n. 15. & Menoch. n. 6.*

Quartò, filium quem alterius esse, aliquando probari potest ex civitatis vel oppidi Actis, si in his, quinam prolium in lucem editarum parentes sint, ab Officiale publico adnotetur: ex libris Parochorum, patrinorum & parentum etiam nomina describentium: ex instrumentis antiquis, licet verba enuntiativè sint concepta, &c. *cit. Mascard. conclus. 794. n. 11. & Gonzalez n. 14. in fine.*



TITVLVS XX.

De Testibus & Attestationibus.

USu frequentissima & post Confessionem judicialem atque ex oculari inspectione ortam facti evidentiam, cæteris potior Probationum species est, quæ fit per Testes, eorumque vivâ voce factas Attestationes, *c. Joannes 10. §. Porro, de Fide instrument.* Quæ causa est, cur post generalem illarum pertractationem probationibus aliis ipsa præmittatur.

ARTICVLVS I.

De Personis, testificari Prohibitis generatim.

SUMMARIUM.

1. *Quid Testis & Attestatio sit.*
2. *Testificari possunt omnes, Jure non prohibiti.*

3. *Prohibentur infantes, furiosi, imberberes.*
4. *Servi, quibus in hoc Religiosi non comparantur.*
5. *Surdi & muti simul.*
6. *Infames, de Civili Juri:*
7. *De Canonico Jure etiam Falli infamia:*
8. *Excommunicati vitandi:*
9. *Perjuri.*
10. *Homines valde inopes ac viles.*

Testis est Persona, quæ ad fidem de re aut facto aliquo dubio & controverso vivâ voce faciendam adhibetur; Attestatio verò sive testimonium est ejusdem super tali re aut facto assertio, seu depositio, Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 1.*
Debet autem Testis, qui in judicio de-

ponit, ut de re aut facto fidem iudici faciat, esse idoneus, hoc est, major omni legitima exceptione, sive, qui à testimonio dicendo Jure, hoc est, Lege vel Canone non prohibeatur, *c. 1. l. 1. §. 1. ff. hie & Novell. 90. pr. V. Licere.* Non prohibiti autem censentur omnes, de quibus contrarium non probatur; quia Edictum de Testibus est Prohibitorium, Panormit. *in c. 1. cit. n. 1. Lanfranc. de Testib. n. 55. & Farinac. Prax. Criminal. q. 53. n. 1.* quò ad testificandum habiles generaliter denotantur omnes, qui specialiter non prohibentur, *Glossa magna in c. 1. pr. de Procurat. in 6. ut ad hanc Rubr. dictum n. 10.*

Porro Jure quidam in totum alii pro vel contra certas personas: alii in certis tantum causis à testificando repelluntur. In totum sive omnino ordinariè repelluntur

Ob defectum iudicii mente capti, furiosi, infantes, *l. Qui testamentum 20. §. 4. ff. Qui test. fac. possunt: nisi tempore delucidi intervalli, §. cit.*

Ob ejusdem iudicii Imbecillitatem impuberes, *can. Testes, 4. q. 2. §. 1. Testium 3. §. 5. in fine. ff. hie.* Ex consuetudine tamen, in causis etiam Criminalibus, examinari etiam impuberes solent, non tam ut probent, quàm ut indicium faciant ad indagandam veritatem, teste Claro *§. fin. quest. 24. n. 17.*

Ob defectum Status servi propriè dicti, *c. Fornus 10. de V. S. §. l. Servos 8. C. hie.* Manumissi tamen de iis, quæ in servitute viderunt, testificari possunt, *arg. l. Notionem 9. §. 2. ff. de V. S. Unde*

Dubium oritur, an testes in iudicio esse queant Religiosi. Ratio dubitandi est; quia quoad actus legitimos & judiciales æquiparantur servis: & a Forensibus negotiis expressè remouentur, *c. Ex parte 2. de postulando.* sed Religiosos, consentientibus suis Superioribus, testes esse

posse: & his etiam invitis, saltem valide testificari, defendit Panormit. *in c. Cum nuntios 12. n. 4. & ab aliis Interpp. ac DD. receptum est; quòd testificari sit de genere communiter permissorum: Religiosi autem nullò Jure repellantur: imò c. Tuia 39. c. Cum nuper 51. Sc. hie c. Veritatis 8. de Dolo §. c. Et si Christus 26. in fine, de Jurjurando expressè admittantur.*

Neque obstat *c. Ex parte cit.* textus; quia eò ferè solti prohibentur procuratores agere vel advocatos: & quidem in casibus, in quibus id non exposcit utilitas Monasterii, & abest consensus superioris, ut ex textu liquet. Nequè refert; quòd à testimonio dicendo repellantur servi; quia his non universaliter, sed in casibus duntaxat Jure expressis æquiparantur; aliàs enim contra *c. Ex parte cit.* textum, etiam consentiente Prælato, in iudicio stare non possent, *arg. l. Quod attinet 32. ff. de R. J.*

Ob defectum Corporis surdi & muti simul, *§. Item surdus 10. Insti. Quib. non est permiss. test.* quia imbecillis iudicii esse, & propterea animi sensa non satis exprimere posse, censentur, *l. Discretia 10. C. Qui test. fac. poss.* Si tamen hujusmodi homo iudiciò valeret, & per scripturam, nutus, aliave signa intentionem suam satis declarare posset, ejus testimonium admitti posse, *arg. l. Servo 65. §. 3. ibi, Sibi interrogati nutu possunt significare, ff. ad S. C. Trebell. centet cit. Farinac. q. 61. n. 46. Surti etiam tantum de rebus, quæ auditu: & cæci de iis, quæ visu percipiuntur, testificari non possunt, Idem n. 24. §. 45. & Haunold. Tom. 5. de J. & J. tract. 4. n. 267.*

Ob Infamiam & turpitudinem vitæ, publicò iudiciò condemnati, *l. Testium §. 5. cit.* vel convicti, *can. Statuimus 3. q. 5. §. c. Super eo 13. hie,* aut rei alicujus criminis, cui infamia à Jure est irrogata, *vg. homicidii, raptus, adulterii, lenocinii, incestu.*

incestuosarum nuptiarum contractarum, sacrilegii, veneficii & aliorum criminum Capitalium, *can. Infames, 6. q. 1.* Imò de Jure Canonico rei cuiuscunque criminis, facti tantùm infamiam asserentis, hoc est, rei existimationem & opinionem apud viros honestos & prudentes lædenti & gravanti, *can. cit. c. Licet 47. & c. Testimonium 54. ibi, Aut gravata sit ejus opinio.* De Jure autem Civili hujusmodi infames à testimonio dicendo in causis tantùm Criminalibus, in quibus plenissima & omnino indubitata probationes exiguntur, repelluntur, Panormit. *in c. Testimonium cit. n. 6.* Felinus *ibid. n. 12.* & Farinac. *q. 56. n. 115.* cùm priùs *n. 112.* cùm Lanfranco *de Testib. n. 74.* monuisset, eos, si de crimine emendati sint, in causis saltem Civilibus, aut cum de crimine, Civiliter agitur, non repelli juxta *c. Testimonium cit.*

8. Dubium est, an testificari valeant excommunicati. Contra Hæreticos ob favorem Fidei eos admitti, disertè habetur *c. In fidei 5. de Hæret. in 6.* In aliis verò causis multùm refert, an tolerati sint, vel vitandi; illi enim, quòd testis depositio alterius favorem spectet, licitè producuntur & admittuntur, per *Extravag. Ad evitanda scandala Martini V.* etsi per exceptionem partis, aut à iudice ex officio valeant repelli. Istos autem seu vitandos, ut hodie sunt notorii clericorum percussores, & publicè ac nominatim denunciati, non admittendos, patet ex *c. Deducimus 8. de Sent. Excommunicat. & c. Veniens 38. in fine, hâc Rubr.* ubi, priusquam testimonium dicant, ad cautelam dicuntur absolvendi. Validum tamen etiam hujusmodi excommunicati, parte non opponente testificari præsumuntis, testimonium esse, Ugolinus *de Censur. Tab. 2. cap. 17. §. 1.* Suarez *de Censur. disp. 16. §. n. 6. & Palao tract. 29. disp. 2. p. 14.*

n. 18. desumunt ex eò; quòd specialiter irritetur testimonium Hæretici, *c. Excommunicamus 13. §. Credentes, de Hæret.* de aliis verò excommunicatis id nuppiam sic expressum.

Ob Fidem à Jure reprobata à testimonio in iudicio ferendo repelluntur perjuri, *can. Quicumque, 6. q. 1. can. Parvuli, 22. q. 5.* etiam postquam, actà de perjurio poenitentia, resipuerunt, *c. Testimonium cit. ibi, Præterquam pro reatu perjurij;* quod, qui semel ausus est Deum in testem rei falsæ adhibere, iterum hoc ausurus timeatur: imò præsumatur, *can. Non potest, 2. q. 7.* cùm semel malus lempet in eodem genere malus esse præsumatur, *Reg. Semel 8. in 6.* Panormit. *in c. Testimonium cit. n. 7.* Felin. *ibid. n. 19.* & *cit. Lanfranc. n. 77.* adeò; ut etiam in lætæ Majestatis aliisque criminibus exceptis, in quibus alioquin testes inhabiles admittuntur, ipsi repellantur: præterquam in hæresis crimine, *c. Accusatus 8. §. Licet de Hæret. in 6.* Farinac. *q. cit. à n. 196. & n. 203.*

Ob Suspicionem corruptionis, personæ valde inopes & viles, *can. Imprimi 7. V. Sed & de personis, 2. q. 1. §. 1. Testium cit. pr.* Quidquid autem sit de rigore Juris, in praxi, æquitate suadente, pauperes, si probatæ vitæ & famæ illasæ sint, ad testimonium dicendum admittuntur, Clarus *§. 9. q. cit. n. 11.* quòd ex inopia ortam corruptionis suspicionem vitæ honestas & probitas excludat, Farinac. *q. 15. n. 82. in fine.*

ARTICULUS II.
De Prohibitis testificari pro vel contra certas Personas.

SUMMARIUM.

11. Idonei testes non sunt pro conjugibus conjugum

12. Et Parentes pro liberis ;
13. Exceptis nonnullis casibus ;
14. Et causis Matrimonialibus ;
15. Cum de conjugio impediendo ;
16. Et aliquando, cum de eo dissolvendo agitur.
17. Consanguinei & affines ;
18. Uti & domestici aliquando ;
19. Non semper repelluntur.
20. Subditus pro suo Principe testis idoneus est.
21. Liberi contra parentes &c.
22. Contra inimicum inimicus capitulis ;
23. Contra Fideles Judai & Pagani ;
24. Uti & de Jure Hæretici ;
25. Et laici contra clericos ;
26. Nisi in defectum probationis, non admittuntur.

11. **P**ro certis personis Testes idonei de Jure non sunt Imprimis maritus pro uxore : hæc pro illo, Glossa in can. Si testes 2. §. Ne liberti, V. Imperari, & l. Etiam 3. V. Eodem, C. hic ; cum propter magnam affectionem, quæ in se mutuo ferri præsumuntur ; quod una caro sint, Genes. cap. 2. V. 24. & c. Debitum 5. de Bigamis : tum verò ; quod uxor viro subdita sit, can. Femina, 3. q. 5. & de istius domo ac familia esse dicatur, l. Adversus 4. C. de Crim. expil. hæret. ejusque domicilium ac forum sequatur, l. Cum quadam 19. ff. de Jurisdic. & l. Exigere 65. ff. de Judiciis, Speculat. Tit. de Teste, §. 1. n. 15. & Farinac. Prax. Criminal. cit. q. 54. n. 210. & 224.

12. Deinde parentes pro liberis & hi pro illis, can. Si testes cit. §. Parentes, l. Testis 9. ff. & l. Parentes 6. junctâ Glossâ, V. Adversus, C. hic propter naturalem amorem & magnam affectionem, quam inter se gerunt, Farinac. q. cit. à n. 145. uti etiam fratres & cæteri consanguinei,

atque etiam affines ; quos usque ad quartum gradum exclusivè, cum pro se mutuo, non in quibuscunque, sed in criminalibus & civilibus valde arduis causis, adversus extraneos producuntur, repelli posse, desumitur, ex can. 1. can. Accusatores 12. & can. Absens, 3. q. 5. & 9.

Excipiuntur tamen varii casus & causæ, in quibus pro liberis suis testificari parentes possunt : ut, cum agitur de eorum ætate, l. Etiam 16. ff. hic, aut animò profitendi Religionem, can. Præfens, 20. q. 3. cum ipsi liberi inter se, non cum aliquo extraneo, litigant, vel extraneus, quocum litem habent, eos ad testificandum admittit &c. Farinac. q. cit. à n. 185. Uti & causæ matrimoniales, in quibus parentes, fratres & cæteri consanguinei ad testimonium dicendum aliquando præ aliis admittuntur, c. Super eo 22. hic & c. Videtur 3. Qui matrim. accus.

Multum tamen interest, an agatur de matrimonio contrahendo, impediendo, vel dissolvendo ; primò enim casu, quò de ejus contractu probando agitur, parentes idonei testes non sunt contra eum, qui nobilitate, divitiis, potentia, honore ipsorum filiam, aut filium superat, c. Super eo cit. ubi tali casu à testimonio repulsa est mater ; quòd ejus fides propter desiderium incrementi & honoris filii sui esset suspecta. Contra eum verò, qui nobilitate, opibus &c. par aut inferior est, parentes de matrimonio contracto cum aliis testari permittuntur, c. Videtur 3. Qui matr. accus. quòd hoc casu cesser suspicio : & contractus notitiam habere præ aliis præsumantur, Panormit. in c. Super eo cit. n. 8. & Menoch. de Arbitr. casu 102. n. 3. Alterò, quò de matrimonii contractu propter consanguinitatis, affinitatis, aut etiam publicæ honestatis impedimentum impediendo agitur, parentes & consanguinei

Uu 3

non so

non solum legitimi, sed præ aliis idonei testes reputantur, *c. cit.* ubi tali casu, quod de peccato vitando ageretur, solius matris testimonium habetur pro sufficienti, *cit. Panormit. num. 7. & Barbosa in c.*

16. *cit. n. 9.* Postremo casu, quod agitur de matrimonio jam contracto propter ejusmodi impedimentum dissolvendo, iterum præ aliis admittuntur consanguinei, præsertim parentes, *c. Super & c. Vis decur cit.* Ratio utriusque est; quod isti dictorum impedimentorum notitiam præ aliis habere præsumantur. Hoc tamen posteriori casu, ad plenam probationem & matrimonii dissolutionem non sufficit unius etiam parentis, sed necessarium est testimonium saltem duorum omni exceptione majorum, *c. 1. de Consanguinit.* quia agitur de maximo præjudicio conjugum & ipsius Sacramenti, Gutierrez de Matrim. cap. 14. à n. 3. & Barbosa in c. 1. *cit. n. 6.*

Neque obstat, *c. In licetis 24.* quia imprimis ejus textu à testimonio, non parentes & consanguinei, sed alii domestici repelluntur. Deinde; quia etiam domestici illi erant participes & socii criminis; ac proinde fidei omnino suspectæ, ut ibi notant Barbosa num. 21. & Gonzalez n. 8. Et demum; quia, cum agitur de matrimonio, non ob consanguinitatis, aut ex justis nuptiis ortæ affinitatis, vel publicæ honestatis, sed propter aliud ex impotentia, illicito concubitu, aliòve crimine ortum impedimentum dissolvendo, ad testimonium parentes & consanguinei, nisi valde honesti & probatæ fidei sint, non admittuntur, *c. In licetis cit.* ut notat Gonzalez *cit. n. 8.*

17. Pro consanguineis etiam & affinibus suis deponere testis potest in causis Civilibus non magni præjudicii; & in gravioribus, quando sanguine, aut affinitate conjunctus est litigantium utrique; vel

erga litigantium alterum ita sibi conjunctum non magna, aut non major, quam in ejus adversarium affectio est; vel, cum deponens religiosus magnæ apud omnes exultationis, aut etiam notæ probitatis & fidei laicus est; vel, cum ad consanguinei aut affinis innocentiam detegendam, v.g. quod occiderit aggressorem ad necessariam sui defensionem &c. deponit, Farinac. *q. cit. n. 16.*

Demum domestici, sive ii, qui sunt de domo ac familia ejus, pro quo producantur, *can. 1. in fine, 14. q. 2. l. Testes 24. ff. & l. Etiam 3. C. hic;* verbò quicumque, quibus producens ratione patriæ, dominicæ, vel gubernativæ potestatis provata imperare potest; de quibus late accuratè Farinac. *cit. q. 54. tota.*

Domesticorum etiam seu famulorum, commensalium & similiarum testimonium pro domino seu patrefamilias recipiuntur, cum de rebus domesticis; vel inter duos, quorum utriusque domesticus testis est, controversis; vel ad ostendendam domini innocentiam, aut in favorem Ecclesiæ deponunt; cum propter eximiam probitatem & honestatem virtute fidei digni specialiter censentur, & aliis casibus ab eodem JCT.º *q. 55. à n. 29.* relatis.

Dubium est, an subditi & vasalli testificari valeant pro suo Principe. Ratio dubitandi est; quod reverentia & observantia, quam huic debent, ejusque gratiam sibi conciliandi & offensæ evitandæ studium, illorum fidem non parum reddat suspectam. Communis tamen Curiarum praxis etiam illos à Principe productos admittit; & quando de proprio eorum interesse non agitur, admittendos evincit necessitas probationum, quarum inopiâ Principes sæpe coarctantur, si vasallos & ceteros subditos suos producere non possent. Accedit; quod rerum & jurium Principis

Principum suorum, & ab his gestorum actuum notitiam præ aliis habeant eorum vasalli & subditi, præsertim ministri; ac proinde ad testimonium de iis perhibendum isti non minus, quam domestici de rebus domi & secretò gestis, sint admittendi. Ita ad hanc *Rubicam* Engel n. 29. & Rob. König num. 17. exigentes, ut eorum depositioni juramenti, quò Principi suo adstricti sunt, ad eum actum relaxatio præmittatur: nisi eò ipsò, quòd à Principe producti sint, relaxatum censeferi possit.

21. Contra certas personas testari prohibentur, liberi contra parentes, propter reverentiam, quam his debent; hi contra illos, propter naturalem affectionem, cui ejusmodi testificatio adversatur, *can. Si testes 2. §. Parentes, q. 2. §. l. Parentes 6. C. b. c.* Liberti contra Patronos, *can. cit. §. Liberti, §. l. Libertorum 12. C. b. c.* Reus criminis contra suum in eo socium, *c. Veniens 10. l. Quoniam 11. C. b. c. §. l. sm. V. Nemo, C. de Accusatis.*
22. Inimicus capitalis contra suum inimicum, *c. Cum oporteat, 19. de Accusatis. l. Testium 4. pr. ibi, An inimicus ei sit, adversus quem testimonium fert, ff. §. l. Si quis 17. b. c.*, adeò; ut etiam in exceptis, puta, læsæ Majestatis, hæresis, Simonie aliisque gravissimis criminibus, & in occultis, cæterisque difficilis probationis factis & delictis non admittatur, *Menoch, de Arbitr. q. 28. n. 2. & Farinac. q. 53. an. 3.* quòd, propter odium & ex isto ortum nocendi desiderium studiùmque, de falsitate suspectum sit ejus testimonium, *arg. l. 1. §. 24. ff. de Q. Capitalis*, inquam, ut, qui de capitali crimine aliquem accusat, eive minatus est, aut in ejus consanguineum machinatus est mortem, aut simile malum, arbitriò judicis grave, *Panormit. in c. Accedens 4. Ut lite non concess. n. 3.* Non inimicus qualiscunque; cum ob levem

inimicitiam testis in causis saltem Civilibus, etsi ejus fidem aliquò modò minuatur, non repellatur, *Clarus §. sm. q. 24. n. 5.* Imò etiam admittatur inimicus capitalis, qui, antequam in testem producat, non omnino recenter, sed ab aliquo tempore itaque reconciliatus fuit; ut, odium & nocendi animum in eo extinctum, præsumi possit; etsi etiam talis omnino integer testis non sit, *Gomez Tom. 3. Var. cap. 12. n. 14. & cit. Farinac. à num. 25.*

Dubium hic duplex moveri solet.

23. Unum de Judæis & Paganis, an testificari valeant contra Christianos. Ratio dubitandi est; quòd contra ipsos testes esse queant Christiani, *c. Judæi 12. & Clement. 1. b. c.* Cum igitur in judiciis servanda sit æqualitas, *c. Significantibus 2. de Mut. petit.* etiam contra hos recipiendi erunt Judæi &c. Sed ratio hæc levis est; quia æqualitas, quæ in judiciis servanda dicitur, *c. cit.* concernit personas actoris & rei, *Reg. Non licet 32. in 6.* non etiam testium, *Clement. cit. V. Juris*; quia, si hos etiam spectaret, contra periueros, excommunicatos, infames & cæteras personas à testimonio remotas testificari nemo posset, ut cum *cit.* Glossa rellè notat *Haunold, Tom. 5. de J. & J. tract. 4. n. 271.* Quare, eà non obstante, Judæos & cæteros infideles à testimonio adversus Christianos dicendo, idem cum *Panormit. in c. Judæi n. 3. Speculat. §. cit. n. 59. & Farinac. q. 54. num. 205.* non admittit, propter textum *can. 75. Apostol. can. Non potest 24. can. Pagani 2. q. 7. & can. Ipsa pietas, 23. q. 4.* Quibus id statuendi ratio fuit partim justa suspicio falsitatis; cum utique credendum non sit eis, qui Veritatis à se fidem abiecerunt, *can. Non potest cit.* partim verò odium perfidie, & favor Fidei Christianæ: cui, quia à privatis renuntiari non potest, *c. Si diligenti 12. de Foro compet. eos adversus*

verfus Christianos etiam consentientes deponere, Jure prohiberi, volunt Felin. in c. *Quam sit* 17. de *Judeis* n. 1. cit.

24. Speculat. n. 9. & Farinac. n. 225. Eadem ferè, quæ Judæorum ac Paganorum, ratio est Hæreticorum; cum à testimonio in judicio dicendo contra Orthodoxos, utroque Jure etiam ipsi removeantur. l. *Quoniam* 21. c. de *Hæreticis*, can. *Si hæreticus* 25. §. *Orthodoxis*. 2. q. 7. & c. *Excommunicamus* 13. §. *Credentes*, de *Hæret.* Ex Contuetudine tamen in Germania & Provinciis, in quibus Catholicis permixti degunt, si aliunde inhabiles & suspectæ fidei non sint, eorum perinde ut Orthodoxorum depositiones recipiuntur; quòd vi Pacis & Pactorum publicorum non solum tolerati, sed quorumcunque munerum & officiorum publicorum sint capaces. Cujusmodi Consuetudinem non damnat Farinacius cit. q. 56. n. 237.

25. Alterum dubium est de laicis, an contra clericos valeant testificari. Certum est, deponere contra hos posse in causa Civili, aut, cum de crimine agitur Civiliter tantum, arg. à contrario ductò ex c. *De cætero* 14. Cum autem de crimine Criminaliter conveniuntur, laicos admittendos, desumi videtur ex c. *Quoniam* 3. ubi tali casu etiam admittitur mulier; ac proinde multò magis laicus vir, arg. c. *Forus* 10. de *V. S.* & c. *fin. de Testib.* 609. ubi civium testimonium admittitur in causa conspirationis in Episcopum, utique Criminali.

Sed, in talibus clericorum causis laicos regulariter non admittendos, clarè expressum, can. *Testimonium*, 11. q. 1. can. *Ipsi*, 2. q. 7. & c. *De cætero* cit. partim ob reverentiam, quam clericis, tanquam Dei vice in terra fungentibus, cæteri fideles debent: partim verò; quòd laici sint diversæ conversationis, Ordinis inferioris, & non rarò à clericis alienioris affectio-

nis, can. *Laici*, 9. cit. & c. *Clerici* 3. de *Immunit.* in *Eccles.* 6.

Neque aliud desumitur ex c. in 16. contrarium allegatis; quia iis mulier & & laici ad criminis probationem admitti sunt, propter defectum aliarum ejus probationum, aut etiam propter sceleris enormitatem: quibus casibus, & in criminibus exceptis, uti etiam ad probandam criminis enormitatem, aut factam mulieres, laicos & alios de Jure alias inhabiles recipi posse: & si non plenam probationem, saltem indicium ad torturam facere, in c. *De cætero* cit. cum Glossa notat Panormit. n. 3. Barbola num. 4. & Farinac. cit. q. 61. à n. 104.

Eòdem modò, quando crimen alter probari potest, testimonium clericum non admittitur contra laicum, can. *Testimonium* cit. ut æqualitas servetur: quòd maximè procedit in causis sanguinis, propter periculum contrahendæ irregularitatis, Panormit. & Felin. in c. *De cætero* cit. uterque n. 1. & cit. Farinac. n. 57.

ARTICULUS III.

De iis, qui in certis Causis non admittuntur.

SUMMARIUM.

27. Mulier in Feudali,
28. Et, Jure saltem Canonico, in Criminali;
29. Quis in eà, cui similem habet,
30. Et in propria causa idoneus testis quia non est;
31. Et si talis sit legatarius in testamento.
32. In causa sua Ecclesia Clerici & Religiosi aliquando;
33. Non semper repelluntur;
34. Et cum admittuntur, integri testes ferè non sunt,

35. *Præsertim in causis valde prejudicialibus.*
 36. *Eadem fere ratio est Prælati.*
 37. *Criminis testis est, qui id, non Civiliter,*
 38. *Sed Canonice denuntiavit.*
 39. *Testes minus idonei in Criminibus exceptis,*
 40. *Cum de peccato vitando agitur,*
 41. *Et in nonnullis aliis causis admittuntur.*
 42. *Admissi tamen integri non sunt:*
 43. *Nisi eorum fides aliunde fulciatur.*

27. **E**X iis, qui in certis causis testificari nequeunt, est Imprimis mulier in causa Feudali, *Lib. 2. Feud. Tit. 32. V. De veteri*: uti etiam in causa Criminali criminaliter intentata. Non quidem Jure Civili; hoc enim earum testimonium generaliter, solò testamento exceptò, admittit, *l. Qui testamento 20. §. 6. ff. Qui test. fac. post. sed Canonice*, eas à causis, quibus de crimine ad vindictam publicam agitur, removente, *can. Mulierem, 33. q. 5. Et. Forus 10. de V. S.* Ratio est; quòd naturà suà sint infirmæ, fragiles, inconstantes; & propterea sibi non constans, sed varium ac mutabile testimonium semper femina producere dicatur, *c. Forus cit. Unde can. Ex eo, 15. q. 3. cum l. Ex eo, 18. ff. hic*, unde *can. cit.* à Gratiano in Decretum translatus est, vel Jure Decretalium posteriori correctus, vel ad causas Civiles restringendus est cum Glossa *ibi, V. Testimonium & Barbosa in c. Forus cit. n. 9.* Nisi de crimine agatur civiliter; ad damni illati resarcitionem: vel per modum exceptionis, ad aliquem removendum, opponatur, secundùm textum & Glossam *c. Tam literis 33. V. Famulas*: vel adversus criminofum per Denuntiationis aut Inquisitionis viam pro-

cedatur, *c. Quoniam 3.* his enim casibus, & cum probationes aliæ deficiunt, etiam mulierum de crimine testimonium recipi, cum Glossa *in c. cit. V. Mulieres, & Panormit. ibid. n. 2.* tradunt Speculator *Tit. de Teste. §. 1. n. 83.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 59. n. 5. & 9.*

Deinde quilibet in causa, cui consimilem ipse habet, *c. Personas 20.* Sic enim v.g. Parochianus, immunitatem à solvendis decimis adversus Parochum prætendens, in causa alterius, super eadem immunitate cum Parocho litigantis, idoneus testis non est: sicut legitimus controversiæ judex non est, qui similem illi causam habet, *c. Causam 18. de Judiciis*; quòd uterque meritò sit suspectus; cum Jure testimonium non aliter dicturi præsumantur, quàm quomodo id sibi dici, ipsi optant, Gonzalez *in c. Personas cit. n. 2.*

Et demum multò magis quilibet in propria sua causa, *can. Si testes 1. §. Nullus, q. 3. l. Testis 10. ff. Et. Omnibus 10. C. hac Rubr.*

Propria autem causa dicitur, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem proprio nomine pertinet, *l. 1. §. 11. ff. Quando appell. fit*; ut, si testimonium in ea perhibeat, commodum percipiat; vel, si id non faciat, damnum patiat. Hinc non solum Actor vel Accusator & reus in causa inter ipsos litigiosa, *can. Nullus utroque, 4. q. 4.* sed etiam Procurator, & Advocatus in ea, quam agendam vel defendendam susceperunt, *can. Si testes cit. §. Patroni, c. Insuper 6. c. fin. in 6. Et. fin. ff. hic*: Syndicus, Tutor, Curator in controversia, super suæ administrationis rebus & juribus mota, *cit. Farinac. q. 60. n. 272.* Socius bonorum communium pro socio in causis Societatem concernentibus, Glossa *in l. Quoniam 1. C. hic, Farinac. ibid. n. 386.* Heres in testamen-

testamento, in quo est institutus, l. *Qui testamento* 20. pr. ff. *Qui test. fac. post.* Judex in causa, de qua cognovit & sententiam tulit, vel est arbitratus, *can. Statutum*, 2. q. 9. c. *Dilecto* 40. *hic*. Ratio est; quod hi omnes, iisque similes alii, emolumentum, commodum, aut saltem honorem habeant ex victoria, vel damnum aut existimationis suae iacturam patiantur ex condemnatione.

31. Neque adversatur; quod testis esse queat legatarius & fideicommissarius, non obstante commodò, quod ex testamento valido in eos redundat, l. *Qui testamento* 20. pr. ff. *Qui test. fac. post.* & §. *Legatarii* 11. *Instit. de Testam.* quia negotium successionis, de quo agitur in testamento, non inter testatorem & legatarios, sed inter illum & hæredem geritur; & propterea istius non illorum proprium negotium esse censetur. Quod autem, non obstante commodò in se redundante, testes esse possint legatarii, specialiter introductum est favore testatorum, quorum ultimæ voluntates sæpe corruerent ob defectum testium, si istorum nemo legatarius esse posset, *Minsinger in §. cit. num. 4.* & *Manzium ibid. num. 9. & 16.* Unde

32. Dubium & frequentis in praxi usûs controversia oritur de Clericis & Religiosis, an testes esse valeant in causa suæ Ecclesiæ vel Monasterii. Affirmativam suadent clari textus, c. *Cum numerus* 12. c. *Veniens* 38. in fine, c. *Tuis* 39. c. *Nuper* 51. *hic*, & c. *Etsi Christus* 26. in fine, de *Jurejurando*. Negativam ratio; quia Clerici, præsertim Religiosi, sunt domestici suæ Ecclesiæ vel Monasterii; cum in isto rectorium & dormitorium habeant, *can. Necessaria*, 12. q. 1. & istius victoria in ipsorum commodum redundet; ideòque propter singularem affectionem à testimonio, in ejus, tanquam propriam suam,

causâ, perhibendo videntur repellendi.

Hujus sententiæ utriusque conciliationem utrunque expedire reddet distinctio, c. *Insuper* 6. insinuata, Et quidem, si clericus vel religiosus Ecclesiæ vel Monasterii sui causam agat per se ipsum: vel ad hanc agendam tuendamve procuratorem solus constituat: uti & si causa concernat rem, in religioforû vel clericorum singulorum utilitatem immediate redundantem, vg. prædium, ex cuius annuis proventibus singuli aluntur & vivunt, nemus vel pascua, in quibus singuli de universitate ligna cedunt, eorumve animalia pascuntur: hoc, inquam, casu testimonium dicere propter allatam rationem non possunt; cum vel procuratores sint, vel litigantes principales, quorum maxima affectio est ad talem causam, *Panormit. in c. Super cit. n. 4.* *Farinac. ibid. n. 6.* *Menoch. de Arbitr. casu 169. num. 13.* & *Farinac. cit. q. 6. n. 495.*

Si autem causa, in qua non de propria Mensa, sed de ipsius Ecclesiæ, Monasterii, sive ejus fabricæ rebus agitur, per solum procuratorem à Præbato & tota communitate simul constitutum agatur, testis esse clericus aut religiosus non prohibetur, propter textus allatos pro Affirmativa: tunc ratio est partim; quia causa communitatis non est propria singulorû, l. *In tantum* 6. §. 1. ff. *de Rev. divis. & l. Sed si hæc* 10. §. 4. ff. *De injus vocando*; ac proinde non censetur nimia eorum affectio ad illam; cum ferè communiter negligantur, quæ communiter possidentur; & quod collegio datum, nemini datum dicatur, post *can. Episcopus* §. 8. §. *Qui manumittitur*, 12. q. 2. partim verò; quia, qui sunt de Collegio vel Ecclesia, melius quàm alii, imò ferè solâ sciunt ea, quæ ad illud, aut hanc spectant. Unde in eorum causa admittendi videntur perinde, ut de his, quæ intra domus secreta contingunt, istius iniquissimi, l. *Quis*

Quoties 3. C. de Naufragis, præsertim, cum admitti nusquam expressè prohibeantur, *citt.* Panormit. n. 2. Felin. n. 1. Menoch. *an. 4.* Farinac. *an. 450.* & Gonzalez *in c. Super cit. n. 6.*

34. Rectè tamen hoc locò DD. duo notant. Primum est, singulos de Monasterio, Collegio, aliave universitate, etsi in istius causa, singulorum commodum, vel damnum non concernente, admittantur, tamen ob affectionem, quâ in collegium, vel universitatem ferri præsumuntur, testes omni exceptione majores, ut duo plenam, unus semiplenam fidem faciat, non censeri, *citt.* Menoch. n. 3. & Farinac. n. 536. nisi de actu ab ipso collegio gesto, puta de electione, tractatu vel consensu Capitulari in alienationem &c. agatur, *c.* Tertiò 5. de Probat. *C. c. Veniens. 38. citt.* Felinus n. 3. & Farinac. n. 339. Alterum in causis Criminalibus, non intra membra, sed ipsum collegium vel universitatem, atque extraneos agitantis: imò in causis Civilibus valde arduis & præjudiciosis, v.g. si de magna jurisdictione vel prærogativa collegii vel universitatis agatur, singulos, qui illud, aut hanc constituunt, ad testificandum in eorum favorem contra extraneos non admitti; quòd in talibus causis ordinariè probationes exactissimæ; ac proinde testes omni exceptione majores, & minimè suspecti exigantur, *citt.* Panormit. n. 3. Felin. n. 4. Menoch. num. 17. & Farinac. n. 508. *C. 521.*

36. Dubium secundò est, an in Ecclesiæ, vel Monasterii sui causa testis esse valeat ejus Prælatus. Ratio dubitandi est, quòd istius mentio non fiat *c.* *Insuper cit. textu:* & meritò; cum Ecclesiæ vel Monasterii sui procurator sit & administrator, *c.* *Edoceri 21. de Rescript. C. c. Fraternitatem 2. de Donationib.* quos à testimonio removeri, est dictum. Sed revera, *c.*

Insuper cit. sicut de religiosis, & clericis subditis, ita de istorum quoque Prælato procedere, insinuat inscriptio, *Priori & Fratribus:* quorum, in suæ Ecclesiæ causis, testimonium subiectus textus admittit, ut ibi notant Panormit, Felinus & Barbosa *pr. aut n. 1.* Unde casu, quò non agitur de rebus ad Prælati Mentem spectantibus: neque de rebus ipsius Ecclesiæ seu fabricæ, ipse iudicium subit: neque ad agendum pro iis vel defendendum procuratorem solus constituit, testificari in Ecclesiæ suæ causis Prælatum posse, cum *citt.* & aliis Interpp. docent Speculat. *Tit. de Teste, §. 1. n. 23.* & Farinac. *q. 60. n. 544.* Quod etiam suadet ratio; quia Prælatus in suæ Ecclesiæ causa potest esse iudex, *can. Si quis, 2. q. 7. C. c. Cum persone 7. de Privileg. in 6.* quantumvis iudex facilius, quàm testis repellatur, Glossa *in c. Cum R. 35. V. Cum sint, de Offic. delegat.*

Majorem quàm textus, Prælatum tamen à testimonio in Ecclesiæ vel Monasterii sui causis omnino removendi vim non habet ratio; quia Ecclesiæ suæ procurator & administrator *cc. citt.* vocatur, non ratione alicujus mandati, ab aliquo principali accepti ad agendum & defendendum: sed; quia rerum Ecclesiæ suæ ratione sui tituli curam habere tenetur: quam habens, si ejus causam in iudicio ipse non tractet, neque ad eam pertractandam procuratorem solus constituat, à testimonio in ea non removeret; cum favore Ecclesiæ; tum; quòd ad eam specialem & testimonii fidem diminuentem affectionem habere, non præsumatur, Barbosa *l. cit.* & Gonzalez *in c. Insuper cit. n. 7.*

Dubium tertid est, an denuntians testis esse queat criminis à se delati. Ratio dubitandi est; quòd non minorem ad denuntiationis negotium affectionem habere censetur, quàm accusator ad accusationem. 37.

X x 2

Propter

- Propter quam rationem differentia statuenda est inter eum, qui Judicialiter: & eum, qui Evangelicè aut etiam Canonicè alterum denuntiat; cum enim denuntiatio judicialis, si privata, proprium deferentis interesse persequatur; & si publica sit, ad poenam & vindictam publicam de eo, qui defertur, sumendam, ferè ut accusatio, tendat, ut *Lib. 5. tit. 1. n. 69.* dicitur, ille,
38. sive judicialiter aliquem denuntians, à se delati criminis testis esse Jure prohibetur, *can. Nullus cit.* etsi iste, sive Evangelicè, imò etiam Canonicè, denuntiatione utens, quòd à se delati bonum, scilicet peccati, ab eo committendi evitacionem aut emendacionem, Christianæ charitatis spiritu potius, quàm Zelò justitiæ intendat, omnino admittatur, *c. In omni 4.* tanquam non specialiter affectus ad causam; quia hæc propria censetur, non ipsius, sed denuntiati, cujus utilitatem specialiter intendit, *Barbosa in Select. in c. cit. n. 5.* Accedit; quòd Evangelicè denuntians, testis sit non tam commissi criminis, quàm fraternæ correptionis, juxta præceptum Christi *Matth. cap. 18. v. 18.* à se præmissæ: sicut nuntius ad citandù missus testis est à se factæ citationis, ut *cit. c. textu* explicat *Gonzalez n. 5.*
39. Dixi suprà *n. 3. Ordinariè*; quia ex personis, de Jure ad testimonium dicendum inhabilibus, pleræque admittuntur Primò, in læsæ Majestatis, hæresis, Simoniam, Sacrilegii, veneficii, latrocinii, falsationis monetæ, aliisque criminibus exceptis, *c. 1. de Confess. c. fin. hic c. In fidei 5. de Hæres. in 6. Ec.* in quibus, propter enormitatem, & quòd ad Republicæ perniciem specialiter tendant, Jure præscriptus in criminosos procedendi Ordo & Regulæ non ita accuratè observantur, *Farinac. q. 62. à n. 81.*
- In crimine Simoniam specialiter ejus focium ad testificandum admittere viden-

tur *Boërius Decis. 319. n. 2. Redoanus de Simonia p. 4. cap. 5. num. 28. & Menoch. de Arbitr. casu 474. num. 31.* qui tamen non ita, ut verba sonant, generaliter sunt exaudiendi; cum hac in re discrimen in terminis statuat ipsum Jus, *c. 1. hæc Rubric. in 6.* ubi, relatò Concilii Lugdunensis decretò, hujus criminis focii testimonium eò solum casu admittitur, quò is solius criminis, non etiam muneris & emolumentis, sive rei temporalis pro beneficio obtinendo data, particeps fuit; atque insuper de crimine agitur civiliter, sive ad privationem seu potius ablationem beneficii, re temporali mediante, ac proinde non canonicè, obtenti. Unde in casibus, quibus de crimine illo criminaliter, sive ad Simoniam committæ rei depositionem ab Ordine aliàmve punitionem publicam agitur: vel Simoniam de se confessus, non solius criminis, sed muneris quoq; & emolumentis temporalis accepti reus fuit, criminofus de focio non interrogandus, neque ejus testimonium est admittendum, *Farinac. q. 62. n. 55.*

Secundò, cum ad impediendum peccatum probanda est v.g. consanguinitas, affinitas, vel aliud simile impedimentum, inter personas matrimonii conjugentium intercedens, *c. Super eo 22. cit. Farinac. num. 99.*

Tertiò, quando, idoneis testibus aliisque legitimis probationibus deficientibus, difficilis probationis rei, aut actus, præsertim occulti, veritas aliter, quàm ejusmodi personarum depositionibus, omnino vel ita bene cognosci non potest, *arg. c. Veniens 38. in fine. hic, l. Divus 4. pr. ibi, Sed si aliter veritas, ff. de Q. l. Farinac. n. 50.* Quartò in causis, in quibus proceditur summarie, & exactæ probationes non requiruntur, v.g. cum, dubius de ejusdem rei possessione contentibus, ne ad arma & manus veniant, proced.

proceditur ad sequestrationem: & generaliter in omnibus judiciis, in quibus leves & apparentes probationes sufficiunt, Farinac. n. 197. Quinto, si litigans ad productionem testium legitime citatus, productis contra se inimicis suis, vel adversariis consanguineis, affinis, domesticis, sociis & similibus in sui favorem à Jure inhabilitatis, cum posset, nihil opponat, itaque in eorum receptionem tacite consentiat: & alios ob infamiam, crimen, statum vel conditionem non idoneos, neque ipse excipiendò, neque ex officio iudex repellat, Farin. à n. 171.

42. His tamen & aliis etiam casibus, legitimas probationes exigentibus, ad testificandum admittuntur minus habiles personæ, non integræ fidei censentur; ut adversus eum, contra quem producentur, neque singulæ semiplenam, neque duæ conjunctæ plenam, sed aliqualem duntaxat faciunt probationem, & præsumptionem sive indicium, in criminalibus sufficiens ad torturam, Farinac. q. cit. n. 73. Contra eum verò, à quo producentur in eadem, imò etiam in diversis, tam Criminalibus, quàm Civilibus causis, singulæ semiplenæ, ac proinde duæ plenæ probant, can. Si testes 2. §. Si quis 4. q. 3. &, ex qua canon iste desumptus est, l. Si quis 17. C. hic, Baldus ibi in Summa, Regulæ instar tradens, personam ab aliquo firmatam in actu uno, firmatam censerit in omni causa; ut ab eo nequeat reprobari, Farinac. q. cit. n. 211.

43. Eiusmodi tamen minus habilis & exceptionibus obnoxia personæ fidem, in causis non valde arduis ad condemnationem: & in Criminalibus saltem ad torturam supplere potest non tantum magna fides, & excellens habitus testis, omni exceptione majoris, sed etiam minus idoneorum numerus; ut, v.g. si de eodem actu unus integræ & valde excellen-

tis fidei & duo minus habiles, vel hujusmodi quatuor aut plures testes deponent: uti etiam, si ejus dicta adminiculis & præsumptionibus verisimilibus adjuvantur, plenè probent, cit. Farinac. à n. 328.

ARTICULUS IV.

De Productione & Juramento Testium.

SUMMARIUM.

44. Testes producendi in Judicio. si possunt.
45. Secus, per alios sunt examinandi.
46. Citanda ad productionem est pars adversa.
47. Paucis casibus exceptis.
48. Testi objecti defectus probatio statim admittitur, si parata est.
49. Secus differunt.
50. Ei Juramentum Veritatis deferendum.
51. Et super tribus præstandum est.
52. Testes non conducendi pretio.
53. Eis tamen præstanda alimenta.
54. Damna & neglecta lucra sunt resarcienda.
55. Juramentum depositionem debet precedere.
56. Non sequi ex intervallo.
57. Id Nobilibus alicubi remisit consuetudo.
58. Et aliis remitti à partibus potest.
59. Nisi causa sit Criminalis vel Spiritus.
60. Testium productio tertia locum habet.
61. Nisi ei sit renuntiatum.
62. Quarta non nisi cum solennitate Legali.
63. Quinta nunquam admittenda est.

X x 3

Produ.

44. **P**roducio testium, extra casus ad Tit. 6. declaratos, facienda est post litem contestatam, præstitumque à partibus, si exactum fuerit, Calumniæ juramentum: intra terminum, quem ad intentionem actor, & reus ad exceptionem suam probandam accepit: atque apud eum judicem, coram quo lis agitur, l. Testium 3. §. 3. ff. & c. *fn. hic*; regulariter enim testes in conspectum judicis venire debent; ut, quò vultu, quâ constantiâ vel trepidatione singuli jurent, & testificentur, cognoscere valeat, §. 3. *cit. Panormit. in c. De testibus 29. n. 10.*

45. Sed hoc, ut dictum, regulare: non perpetuum est; quia, si testes non ejus, sed alienæ jurisdictioni sint subjecti, l. *fn. ff. de Jurisdic.* si personæ constitutæ in dignitate, magistratu, vel alio munere honorifico conspicuæ, aut Nobilitate, Religione, aut Doctōratu insignes, l. *Ad personas 1. ff. de Jurejur.* si mulieres honestæ, præsertim Moniales, c. *Mulieres 2. de Judiciis, in 6. & Novell. 124. cap. 1.* Si senes, valetudinarii, vel paupertate pressi, c. *Si qui testium 8.* si milites, vel causâ Reipublicæ sint absentes, aut in loco remotiori degant, l. *Testium cit. §. 6. & l. Invisi 8. ff. hic*; vel, quò minus personaliter coram judice compareant, aliter impediti; si, inquam, testes hujusmodi personæ sint, quòd in ipso judicio, in quo lis agitur, produci non possint, per judicem ordinarium loci, in quo degunt, ad id requisitum, vel per notarium, aut aliam personam discretam & peritam, ad hoc specialiter delegatam, examinari, eorùmque depositiones seu testimonia scripta & obsignata ad causæ judicem referri aut remitti debent, c. *Constitutus 3. de Fidejuss. l. Judices 18. Auth. Apud eloquentissimum C. de Fide instrument. & Novell. 90. cap. 5.* ubi excipiuntur causæ Criminales: in quibus tamen

aliisque causis arduis ex consuetudine, et contrâ, quàm utilitas, imò necessitas publica exigat, crimina maneat impunita, examen testium, ex relatis causis ab leuicis, aut impeditorum, imò etiam propter multitudinem negotiorum, quibus ipse judex distringitur, aliis committi posse, cum Baldo in *Auth. cit. n. 1.* docent Farinac, *Prax. Criminal. q. 77. n. 198.* & Gaill. *Lit. 1. observat. 96. n. 10.*

Ad testium autem productionem citanda est pars aduersa: non; ut illorum interrogationes & depositiones intelligat: sed; ut iplos videat, & audiat eorum juramenta: & si quid fortè eorum perionis, quò minus ad testificandum idoneæ sint, objici possit, id proferat ante eorum receptionem & examen, vel saltem ante attestationem publicationem, c. *Præsentium 3.* Ubi

Dubium est de hujusmodi citationis necessitate: quod oritur ex c. *Præsentia 12. de Sponsal. & c. fn. de Hæret. in 6.* quorum textuum priori ad unius, occultè & parte non citatâ deponentis, testimonium matrimonium contrahendum impeditur: posteriori personæ & nominæ testium reo celari jubentur.

Nihilominus ad productionem & juramentum testium partis aduersæ citationem necessariam: eaque omittâ illorum examen ac receptionem nullam esse, clarè habetur c. *In nomine 2.* ut, parte non citatâ, eorum attestationes non solum plene probandi non habeant vim: sed neque indicium aut præsumptionem faciant aduersus eum, contra quem sunt receptæ: quod desumitur ex c. *cit. verbis, Attestationes eorum, parte non citatâ receptarum, nullius momenti esse oportere, ut cum Panormit. in c. cit. n. 14.* Felino n. 3. & aliis Interpp. observant Gomez *Var. Tom. 3. cap. 12. n. 20.* & *cit. Farin. q. 72. d. n. 87.* Ratio est partim; quòd generaliter; ubi de ali-

de alicujus interesse agitur, semper is citandus sit, *l. De unoquoque 47. ff. de Re judis.* partim verò; quòd, si una tantùm pars præsens sit, aut citetur, testes, qui in utriusque partis præjudicium probandi vim habent, in favorem solius præsentis, & in absentis odium producti videantur; itaque iste jure excipiendi contra testes sibi concessò *c. Ex parte 7.* privetur.

47. Neque aliud evincunt in contrarium allegati textus; quia priori de vitando peccato agitur; posteriori autem de favore Fidei ac Religionis Catholice: propter quæ, sicut alia, aliàs non permittitur, conceduntur, sic etiã fides habetur testibus deponentibus, parte non citatâ, eorumque nominibus suppressis, Panormit. in *c. Præsertim 7.* & Gonzalez in *c. In nomine cit. n. 10.*

Præter hos casus testes, parte non citatâ, recipi etiam possunt, quoties judex ex officio per viam Inquisitionis procedens, quis delictum commiserit, generaliter, nullâ certâ personâ expressâ, indagat: quando periculum est in mora; quòd v.g. debitor suspectus de fuga, vel testes in remotas partes sint discessuri: quando adversarius in receptione testium aliàs est præsens; quia ejus in judicio præsentia supplet defectum citationis, *Aurb. Si quis C. hic*; quando adversarii potentia timeatur, & aliis casibus relatis à *cit. Farinac. n. 36. § 103.*

Si pars adversa, ad testium productionem citata, compareat: uti &, si citata & legitime non impedita absit; quia contumaciter absens in sui præjudicium pro præsentate habetur, *l. Properandum 13. §. 2.*

48. *C. de Judiciis:* si, inquam, hoc contingat & testibus productis excipiendò objiciatur aliquid, quod probatum eos à testimonio repellat, multùm interest, an objectus defectus notorius sit, aut secus; si enim notorius sit, uti &, si in continenti probari

possit, ante omnia ejus probatio admitenda, & testium, quorum defectus probatus fuerit, receptio omittenda est, adeò; ut nihilominus examinati & recepti nihil probent, atque ex eorum depositionibus lata sententia rescindenda, imò rescissa sit *c. Ex parte cit. Panormit. ibi n. 8. Menoch. de Arbitr. casu 239. n. 12. & cit. Farin. q. 62. n. 358.* Si objectus defectus notorius non sit, ejus probatione ad finem litis reservatâ, examen & depositiones testium ordinariè non impediuntur, vel differuntur, *Aurb. Si testis C. hic*; Glossa in *c. cit. V. Infames*, Panormit. *l. cit. Lafranc. de Testib. n. 49.* & Farinac. *q. cit. n. 350.* quia fortassis actoris intentionem vel rei exceptionem aliunde probari, & judici ad sententiam ferendam ejusmodi testium depositionibus opus non esse, apparebit.

Si autem productis testibus, quòd eorum testimonia enervet, nihil objiciatur, in examinis limine ab ipsis judex exiget juramentum Veritatis, *can. Imprimis 7. §. Quia igitur, 2. q. 1. c. Fraternitatis 17. c. Nuper 51. l. Jurisjurandi 9. §. l. Testium 18. C. hic*: quod à testibus exigendi ratio est; ut juramenti Religione, eoque invocati Divini Numinis timore moveantur ad dicendam veritatem: quæ ut eliciatur in judiciis, maxime curandum est; ne per sententiam litigantium alterius jus facile lædatur.

Jurare autem testes debent *Inprimis*, se super omnibus, de quibus interrogabuntur, veritatem, quam sciunt, pro litigantium utroque dicturos, *c. Quoties 5. Glossa in c. Fraternitas cit. V. Juramentum §. l. Jurisjurandi cit. V. eòdem.* Deinde, se nec pretiò, nec amore, nec timore, nec odiò, nec pro alio commodo, sed solius veritatis studio ad testificandum inductos, *c. Quoties cit. junctâ Glossâ sn in c. Fraternitas cit.* Et demum, se depositiones suas ante earum publicationem neutri

neutri parti revelaturos, *can. Si testes 2. §. Qui falsò. 4. q. 3. Speculat. Tit. de Teste, §. 4. n. 1. & 2. cit. Lanfranc. n. 6. & Farinac. q. 74. à n. 16.* Unde

52. Dubium nascitur primò, an ergo testes pretiò nequeant conducì. Ratio dubitandi desumitur à paritate advocatorum, qui pretiò conducì permittuntur, *can. Non licet, 11. q. 3. & can. Non sanè, 14. q. 5.* quia, sicut isti de Jure, sic testes de factò testimonium perhibent.

Sed ita conducì testes non posse, *c. Licet 9. de Probat. & c. 1. & c. Quoties cit. hic* apertè decisum, & ratio est; quòd pretium accipiens in dubio falsum deponere præsumatur, cum; quia pretium excæcat oculos etiam justorum, *Deuter. cap. 16. v. 19. & Ecclesiastici cap. 20. v. 31.* Unde, id pro testimonio accipiens, pretium potius, quàm justiciam respicere videtur: tum; quia acceptò pretiò deponens est perjurus, *c. Sicut 9. priusquam enim deponat, jurat; quòd neq; pro amicitia, neq; pro alio eamòdo &c. testimonium dicat, c. Quoties cit. & c. Licet 47. v. Testes: perjuri autem à testimonio repelluntur, c. Ex parte & c. Licet cit.* Accedit; quòd hujusmodi pecunià corrupti testis à Jure non solum reprobata sit fides, *c. cit. & l. Testium 3. §. 5. ff. hic* sed ipse quoque crimine & pœnà falsi teneatur, *l. 1. §. Si quis ob testimonium dicendum vel non dicendum pecuniam acceperit, pœnà Legis Cornelia teneatur, & l. Falsi 20. ff. ad L. Cornel. de Fals. Glossa in c. 1. cit. v. Pretiò, ubi Panormit. n. 2. cit. Speculat. §. 1. n. 43. & Farinac. q. 67. n. 236.*

Neque par ejus ratio est & advocati; quia advocatis salaria permilla sunt, propter laborem & industriam, quam addiscendo & allegando Juri impenderunt: cujusmodi labor & industria, cum in dicendo testimonio non reperitur, nulla est ratio salarii pro eo constituendi vel

exigendi, *Gonzalez in c. 1. cit. n. 10.*

Alimenta tamen & sumptus, tam in accessu ad judicium & testimonium dicendi locum, quàm in recessu factos juxta conditionem personæ: damnun quoque acceptum, mercedes & lucra, si à domo & rebus suis non abfuisset, percipienda, & testimonii ferendi causà neglecta testi præstare debet is, à quo est productus, *c. Statutum 11. §. Pro ferendo, de Rescript. in 6. l. Quoniam 11. & l. Constitutio 16. C. hic;* cum stipendiis suis, etiam in Foro, militare nemo cogatur, *c. Cum ex officio 16. de Præscript. & Naturali æquitate dictante, officium, quod præcise in alterius gratiam suscepit, alicui non debeat esse damnosum, c. Cum non debeat 30. de Elect. in 6. & l. Sed si quis 7. ff. Test. quem ad. oper. Menoch. de Arbitr. casu 310. n. 10. Gaill. Lib. 1. observat. 99. à n. 1. & Petr. Barbosa in l. Eum quem 79. ff. de Judic. n. 223.* Sicut autem ad cæteras litis expensas, ad sumptus quoque, in testimonium productione factos, victori postea refundendos victus condemnandus est, *c. Finem 5. de Dolo, & l. Properandum 13. §. 6. C. de Judicium: nisi; quòd non temerè, sed justà causà litem suscepit & prosecutus sit, expensarum compensatio fiat. Ita in c. cit. Panormit. n. 22. alter Barbosa n. 6. & in l. Eum quem cit. Bartol. n. 1. Barbosa n. 170. & Bruneman. n. 1.*

Dubium secundò est de valore depositionum, receptorum à testibus non juratis: quas cujuscunque isti dignitatis & quantumcunque religiosi sint, non valere, desumitur ex *c. De testibus 29. c. Nuper 51. l. Jurisjurandi & l. Testium cit.* quibus testibus juramentum omnino exigitur; ut depositionibus, per quas alteri præjudicatur, fides habeatur, *cit. Lanfranc. n. 4. Gaill. observat. 101. n. 1. & Farinac. q. 74. à n. 1.* Quòd adeò verum est; ut, si duo vel plures omni exceptione majores

majores & integerrimi testes sine juramento deponant, in alterius præjudicium non plene probent; sed aliquando duntaxat faciant præsumptionem, Idem n. 65. § 109.

56. Neque sufficit; quòd juramentum ex intervallo sequatur depositionem, c. *Fraternitatis* 17. in fine, & l. *Testium cit.* quibus textibus, juramentum hoc prius recipiendum, difertè habetur. Ratio est; quòd deponens moveri non præsumatur Religione nondum præstiti juramenti: & si hoc postea præstet, periculum sit perjurii; cum enim, depositionem suam antè factam falsam esse, nemo facile fateatur, ad evitandam existimationis suæ notam testimonio falso falsum juramentum facile subjungetur. Dixi, *Ex intervallo*; quia depositionem, quam juramentum in continenti sequitur, pro valida habendam, docent Baldus in l. *Jurisjurandi cit.* n. 1. Felinus in c. *De testibus cit.* n. 5. cit. Lanfranc. n. 7. & pro tali haberi in Camera Imperiali, testis est Gaill. *cit. observat.* 101. n. 9. quòd ad huius inesse videantur, quæ in continenti fiunt, l. *Leſta* 4. V. *Discebam ff. de Reb. credit. § l. Petens* 27. C. *de Pactis.*

57. Quin plurimum Germaniæ nostræ Provinciarum consuetudine invaluit, ut illustres ac nobiles personæ, sicut testimonium in propria persona non dicunt, sed id in scriptis sigillò munitum, & manu propria subscriptum judici transmittunt, ita etiam, non præstito corporali juramento, sed sub fide sua testificantur, *cit.* Gaill. n. 13. & Farinac. n. 56. § 58. cum; quòd in hujusmodi personis, dignitate vel nobilitate valde conspicuis, non magnum sit periculum, aut suspicio fraudis ac subornationis: tum verò; quòd ab iis sub fide & dignitate sua facta assertio vel promissio juramento æquiparetur: illiusque falsitas aut violatio perjurii instar reputetur.

Dubium tertio est, an juramentum hoc à parte nequeat remitti. Ratio dubitandi desumitur à paritate juramenti Calumniæ, quòd expressè remitti prohibetur l. *Cum & iudices* 2. §. 4. C. *de Jur. propt. calum. & arg. c. 1. §. fin. de Juram. calumn. in 6.* Sed non est paritas inter hæc juramenta, cum; quia Calumniæ publicam: Veritatis autem juramentum privatam utilitatem & favorem principaliter concernit: tum verò; quia remissio juramenti calumniæ ad delinquendum invitat partes: non item testes remissio juramenti Veritatis; quia hi in aliena: partes autem in propria sua causa in judicio versantur: ob eamque causam ex parte istarum, propter proprium interesse, majus periculum calumniæ est, quam ex parte testium pervertendæ veritatis. Unde, istius juramentum in causis Civilibus remitti posse, ex c. *Tuis* 39. passim desumunt DD. cum Glossa ibi *V. Remittatur*, & Panormit. n. 6. Etsi ejus c. textu non de juramento ab ipsis testibus: sed de eo à Monachis, se Fratres suos ob aliorum defectum producere asserentibus, præstando agi, verisimiliter existimet Gonzalez in c. *cit.* n. 2. in fine.

Dixi, *In Civilibus*; quia in Criminalibus, præsertim Capitalibus: uti & in matrimonialibus, in quibus agitur de conjugii valore: in Beneficialibus aliisque spiritualibus causis, à mera voluntate partium non dependentibus, juramentum hoc remitti à partibus non potest; quia in hujusmodi causis principaliter agitur, non de privata, sed de publica utilitate, exigente; ut delicta puniantur: vel de reverentia Sacramenti, bono Ecclesiæ, quibus privatorum pactioibus & renuntiationibus derogari non potest, c. *Si diligenti* 12. de Foro competent. § l. *Jus publicum* 38. ff. de Pactis, Farinac. q. cit. à n. 85, referens alios casus, quibus illud ne-

Y y

quit re-

quit remitti: cum n. 84. monuisset, ejusmodi remissionem, ut depositiones non enervet, faciendam expresse: neque sufficere, quod pars non contradicat.

In relatis autem & aliis causis etiam, cum non remittitur, juramenti ea necessitas est; ut quoties novi testes: imò & iidem super novis articulis producuntur, repetendum sit, c. *Fraternitatis cit. in fine.* Nisi isti ad dictum sive testimonium suum declarandum recipiantur, vel prius de veritate, non super articulis propositis, sed totâ causâ dicendâ juravissent, Panormit. in c. cit. n. 1. Butrio *ibid. n. 4. cit.* Gaill. n. 16. & Farinac. à. n. 47. Unde

60. Dubium nascitur, quoties testes in eadem causâ de Jure valeant produci. Bis tervè eorum productionem in causis tam Ecclesiasticis, quàm Civilibus permissam, colligitur ex c. *In causis 15. & c. Ultra 55.* quorum dispositio ex *Novell. 90. cap. 4.* est desumpta. De quarta autem productione cap. cit. prodita & concordibus DD. suffragiis recepta est distinctio; vel enim, qui bis tervè testes produxit, ulteriori productioni renuntiavit, vel non?

61. Si prius, ad quartam: imò, si post primam illi renuntiavit, ad secundam & tertiam non est admittendus, c. *Cum venissent 25. ibi, Si renuntiatum fuit testibus hinc inde,* Panormit. in c. *In causis cit. n. 13.* quia renuntiandò perdidit jus ulterius producendi, Glossa in c. *Cum venissent cit. V. Renuntiatum;* renuntiatio enim illa vim habet conclusionis in causa, postquam in causâ principali aliæ probationes non admittuntur, arg. c. *Cum dilectus 9. de Fide instrument.* Glossa in c. *Cum venissent cit. V. Renuntiatum, ubi Panormit. n. 4. & Imola n. 7.*

62. Si posterius, alterâ opus est distinctione; vel enim prius productorum attestations jam sunt publicatæ, aut aliter in producentis notitiam pervenerunt, aut

secus. Priori casu ad ulteriorem productionem non est admittendus, cap. 4. cit. & Auth. *Qui semel, C. de Probat.* secundum receptam Glossam in can. *Imprimi 7. V. Si eo presente, 2. q. 1.* Posteriori autem ad quartam productionem admittitur: sed non nisi cum solemnitate Legalî, hoc est, nisi prius juraverit, antea productorum testimonia à se non suppressa vel occultata: ea se non explorasse, nec didicisse: novam productionem à se bona fide & sine fraude peti. Quam solemnitatem requirendi causâ fuit partim; ut effrenata testium multitudo & lites protrahendî studium compeceretur, Glossa in c. *In causis cit. V. Productionem:* partim vero; quòd ex sæpius iterata productione oritur confusio Judicii & præsumptio; quòd eam petens testium depositiones recuset: & quia iis intentum suum non probari advertit, alios corruptos producere velit. Ita in c. *In causis cit.* Panormit. n. 1. & Gonzalez n. 5. Quinta testium productione, cum ista quidem solemnitate concedenda est; ne nimia testium multitudine processus sufflaminetur, & lis ultra modum protrahatur, cit. *Speculat. 3. n. 11.*

ARTICULUS V.

De Testium Numero.

SUMMARIUM.

64. Duo testes regulariter plene probant.
65. Plures in ultimis voluntatibus.
66. Aliquando in contractibus & insensarum confessione.
67. Plerumque in Canonica purgatione desiderantur.
68. Et olim ad Cardinalis condemnationem requirebantur, 69. 806.

69. Neque requiri Divinò Jure prohibentur.
 70. Unius duntaxat testimonio creditur pluribus casibus,
 71. Tertio notabiliter non prejudicantibus,
 72. Testes singulares esse possunt tribus modis.
 73. Obstativè, sibi mutud adversandò:
 74. Quales non probant.
 75. Cumlativè, se mutud adjuvandò:
 76. Quales sæpè, non semper plenè probant.
 77. Diversificativè, deponendò de diversis:
 78. Quales plenè probatione vim minorem habent.

64. **D**E Numero testium ad plenam fidem faciendam necessario ac sufficienti Regulam non admittit videri potest varietas textuum Juris utriusque, ad actum plenam probationem, & quandoque ad ipsam eorum substantiam ac valorem, aliquando duos vel tres, aliquando quinque vel plures, & aliquando unum testem exigentium vel admittentium.

Hæc tamen varietas, licet magna sit, nequaquam tamen impedit, quò minùs ad plenam probationem & causarum decisionem duorum triumve idoneorum, sive omni exceptione majorum, testium in idem conspirantes depositiones requiri ac sufficere, Regulæ instar statuatur; cum id generatim statutum sit Jure, non Humanò duntaxat, *can. 75. Apostol. can. Acusatio, 2. q. 7. c. In omni 4. c. Cum à nobis 28. l. Ubi numerus 12. ff. hic &c.* Sed etiam Divinò, Deuteron. *cap. 17. V. 6.* & Matthæi *cap. 18. V. 16.* ubi Æterna Veritas, *In ore, inquit duorum vel trium testium fiet omne verbum.* Ratio ea reddi solet; quòd, licet unus aliquando soleat, non

facile tamen duo ejusmodi testes, in depositionibus conformes, perverti præsumantur.

Regula tamen hæc perpetua non est; eùm, ut insinuat, Jure proditi sint varii actus & causæ, in quibus ad plenam fidem de re dubia faciendam exiguntur plures, aut sufficit unus.

Et plures quidem exiguntur Primo in ultimis voluntatibus; eùm in testamento solenni septem, *l. Hæc consuetissima 21. pr. C. de Testam. in Codicillo & Donatione mortis causâ quinque exiguntur, l. 5. fin. C. de Codicill. & l. fin. C. de Donat. causâ mort.* Secundo, aliquando in contractibus; sic enim in probatione solutionis contra creditorem, authentica scripturâ munitum, si illa per apocham, vel hanc casu fortuito perditam esse, legitime probari nequeat, quinque desiderantur, *l. Testium 18. C. hic:* quò testium numerò etiam probanda est confessio creditoris, fatentis sibi factam solutionem debiti, *Aurb. Rogati C. eadem Rubr.* Sic casu, quò mutui, depositi, vel alius contractus, libram auri non excedens, ex scriptura privata probandus est, aliquando sufficiunt duo, *l. fin. & Aurb. Sed novo, C. Si certum pet. ut eruditè Everhardus noster de Testibus p. 6. cap. 3. à n. 2.* Sic Modernò Jure ad valorem contractus Matrimonialis, præter Parochum, qui testis est qualificatus, duo alii testes necessarii sunt, Trident. *Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim.* Tertio, in confessione inventarii, absentibus iis, quos negotium concernit, tres saltem testes interesse debent, *Novell. 1. cap. 2. §. 1.* Quarto, in Canonica purgatione, pro varia qualitate personarum & criminum gravitate quatuordecim, duodecim, septem, quinque vel tres, aut etiam duo tantum Compurgatores sive innocentia testes adhibentur, *can. Omnibus, 1. can. Si legitimi, 2.*

Y y 2

q. 5. 6.

- q. 5. c. *Cum P. 10. de Accusat. c. Inter 10. c. In juventute 12. de Purgat. Canon.*
48. Quintò, ad condemnationem alicuius S. R. E. Cardinalis olim, cum Hæreticos multa in eos malitiosè machinari compertum esset, si ille Episcopus 72. si Presbyter 44. si Diaconus 27. si Subdiaconus aut inferior Urbis Romanæ clericus fuit, septem testes requirebantur, *can. Praesul, 2. q. 5.* Ejusmodi autem machinationibus cum tempore cessantibus, illius textus dispositionem in usu esse desisse, *Barbatia de Praesant. Cardinal. q. 11. n. 1. c. 9.* & hodie ad quemcunque, cuiuscunque dignitatis sit, de crimine condemnandum duos vel tres omni exceptione majores testes sufficere, notant *Gratianus in can. 1. q. cit. Clarus §. fin. q. 66. n. 5. & Farinacius Prax. Criminal. q. 63. n. 144.* Alios casus, quibus duobus plures testes exiguntur, refert *Speculat. Tit. de Teste §. 11. à n. 1. cit. Everard. n. 5. c. 7. & Farinac. à n. 239.*
69. Neque huic testium numero Divinum Jus allegatum adversatur, ut cum nonnullis aliis in *c. Cum esses 10. de Testam. à n. 114.* voluit *Fagnanus*, permotus *c. cit.* textu, quò septem aut quinque testium numerum in ultimis voluntatibus exigentes leges Civiles alienæ esse dicuntur à Lege Divina; cum scriptum sit, *In ore duorum vel trium testium stes omne verbum, Deut. cap. 17. v. 6. & Matth. cap. 18. v. 16.* quia imprimis, si illæ huic legi adversantur, qua ratione sacri Canones non alternativè duos vel tres: sed determinatè Patrochum & duos vel tres alios testes; ac proinde tres vel quatuor ad valorem Matrimonii: ad purgationem Canonicam majorem: & maximum illorum numerum exigere potuerunt ad condemnationem Cardinalis? Quomodo *c. Licet cit.* Alexander III. verè asserere potuit, *Esse plures causas, quàm plures, quàm duos testes*

requirunt? Deinde; quia illò Deteronomii præceptò non plures adhiberi, sed unius solum testimoniò quis condemnari prohibetur. Accedit; quòd illud veteris Legis præceptum non Morale, sed Judiciale duntaxat fuerit; ac proinde Christi morte exspiravit, *c. Translato 3. de Constitut.* Neque præceptum illud resuscitatum & vivificatum est in Lege Gratia; quia ista ex *D. Thomæ 1. 2. q. 108. art. 1. c. 2.* & cæterorum TT. communi sententia præter Naturalia & quæ Deum, Ecclesiæ Sacramenta & Sacrificia spectant, nullum continet præceptum, Neque aliud eruitur ex *Matth. cap. 18. v. 16. cit.* quia illò solummodo illud Veteris Legis præceptum refertur & explicatur, non renovatur; ferè sicut apud eundem Evangelistam *cap. 23. v. 23.* præceptum solvendi Decimas: quas illò textu non obstante, in Novo Testamento, non Divinò, sed Ecclesiastico Jure debitas, ex communi DD. sententia *Suarez de Decimis cap. 10. n. 3.* tradit. Demum, quia *c. Cum esses cit.* testium Testamentariorum septemarius à Lege Divina alienus dicitur non; quòd alicui istius prohibitioni contrarius; sed, quòd numerus ille præter legem illam, sive ultra id, quod hæc exigit, sit introductus, ut cum *Mench. de Praesumpt. Lib. 1. q. 80. n. 23.* & aliis adversit *Barbosa in c. cit. n. 5.*

Uni autem testi creditur Primò, si, ut in certo aliquo negotio unius testimonio vel denuntiationi fides habeatur, consentiant partes, *l. Fin. C. de Fideicommissis:* vel, si testator velit, ut in rebus, hæreditatem spectantibus, unius declaratione stetur, *l. Theopompus 14. ff. de Dote præleg.* Secundò, in causis nihil aut præjudicii afferentibus tertio, v. g. in dubio, an, qui defunctus est, fuerit baptizatus vel Catholicus, vel petierit Confessionem, *can. Cum itaque 110. dist. 4. de Crim.*

de Consec. an Ecclesia consecrata, an quis clericus sit, Speculat. cit. §. 11. num. 8. Tertio, quando agitur de vitando peccato, & parti jus non est quaesitum, vg. ut impediatur matrimonium contrahendum inter personas, laborantes impedimento dirimente, c. Super eo 22. hic & c. Praeterea 12. de Sponsal. sicut ex sola fama de copula cum sanguinea habito matrimonium impediendi causa sufficiens fuit, c. Super eo 2. de Consang. & affinit. Quarto, cum de rei defensione & probanda ejus innocentia agitur: & pro ista testificantis depositioni accusatoris contraria probatio non adversatur: sicut contingit, cum, isto homicidium probante, accusatus per unum testem probat, id ob necessariam sui defensionem & inculpatae tutelae moderamine servato commissum, aut vulnerati mortem, non ex inflicto vulnere, sed chirurgi imperitiâ aut ipsius vulnerati culpâ secutam Farinac. q. cit. n. 43. Quinto, si alicujus peregrinae Linguae peritus scripturam, illius charactere & idiomate exaratam, interpreteatur, saltem aliis interpretibus deficientibus, l. 1. §. fin. ff. de V. O. Idem n. 45. Sexto, si officialis aut minister publicus de actu à se gesto, vg. Notarius aut Curia executor, instrumentum à se confectum, citationem parti insinuatam, testentur, c. Cum parati 19. de Appell. ubi Glossa V. Suus nuntius, Menoch. de Arbitr. casu 99. à n. 2. & Farinac. q. cit. n. 40. Septimo, si summus Pontifex, Imperator, vel alius Princeps superiorem non recognoscens, de re aut facto aliquo testimonium perhiberet, Haunold. Tom 5. de J. & J. tract. 4. n. 284. Alios casus, quibus uni testi creditur, dabunt cit. Speculat. §. 11. à n. 7. & Farinac. à n. 18.

Neque obstant, c. Licet cit. verba, Nulla est causa, qua unius tantum testimonio, quantumvis legitimo terminetur;

quia intelligenda sunt de casibus, quibus agitur de notabili praedictio partis, contra quam testimonium perhibetur, juxta eam. Judices, 3. q. 9. Glossa in c. Licet cit. V. Unicus: in quibus causis proceditur tritum, Unus testis nullus testis, & illud, vox unius vox nullius, l. Jurisjurandi C. hoc est, se solâ insufficientem ad aliquem convincendum vel condemnandum; quia ad hoc exigitur plena probatio, quam unus quantumcunque dignae personae depositio non facit: nisi cum alterius testimonio vel alia semiplena probatione conjungatur. Ad condemnandum, inquam; quia ad inquirendum, citandum, & aliquando etiam ad torquendum reum, unius omni exceptione majoris testimonium, cum semiplenè probet, & praesumptionem contra eum faciat, sufficere, cum Speculat. cit. §. 11. n. 11. & Farinacio cit. q. 63. n. 50. tradit Laiman in c. Licet cit. n. 4. Unde

Dubium oritur de testibus singularibus. Quibus licet probandi vis generaliter adempta videatur à Glossa in c. Cum dilectus 32. V. Probatio, de Elect. ceteri tamen DD. ejusmodi testimonium duas imò tres species distinguunt; quaedam enim tales sunt Adversativâ, alii Cumulativâ & alii Diversificativâ singularitate.

Adversativâ sive, ut etiam vocant, Obstativa singularitate singulares sunt, qui de uno quidem & non iterabili, vel saltem non iterato actu, ut est ejusdem hominis interfectio, varia &, quoad circumstantias, vg. temporis aut loci, inter se pugnantia deponunt: ut duo testes Titii eadem diversis temporibus: & duo senes idem & non iteratum adulterii crimen, alter sub schino, alter sub prino à Susanna commissum, asserentes, Daniel. cap. 13. V. 55. & 58. Glossa in eam. Nihilominus 16. V. Simul, 3. q. 9. Quò modo singularium testimonium duo, minùs, quàm unus probant;

Yy

vel actu deponens testis unicus plenam fidem non facit, Baldus in *l. cit. num. 4.* Farinac. *q. cit. n. 34.* Magnam tamen hujusmodi testis singularis præsumptionem & plus quam semiplenam probationem in Criminalibus, ad reum questionibus subijciendum, vel purgationem Canoniam ei indicendam sufficientem facit, Clarus *§. fin. q. 53. num. 19.* & Farinac. *q. 37. n. 34.*

ARTICULUS VI.

De Testium Examine
ac Depositionibus
SUMMARIUM.

79. In teste jejunium exigit *Jur.*
80. Non etiam moderna *Consuetudo.*
81. Examinari debet à *Judice*, vel ejus delegato:
82. Secretè & *singillatim.*
83. Suique dicti reddere *rationem,*
84. Sive quò sensu rem *perceperit.*
85. De *credulitate* deponentes plerumque parim:
86. Aliquando plene *probant.*
87. *Probant* de auditu proprio,
88. Non etiam de alieno *deponentes:*
89. Qui tamen variis *casibus,*
90. Aliquando etiam in *causis Matrimonialibus* admittuntur.
91. Testis *exprimere* debet facti *circumstantias.*
92. Testes *inter se* contrarii *conciliandi* sunt.
93. *Secus,* fere paucioribus *prævalent* plures, à *diversis:*
94. Imò etiam ab eodem *producti:*
95. Quod tamen variis *casibus* non *procedit.*
96. Sibi *contrarii* testis dicto *posteriori* creditur, si *primus* statim:

97. Aliquando etiam, si id ex *intervallo* revocavit.

98. Plerumque tamen hoc *casu* prius,

99. Et *judiciale dictum* præfertur *extrajudiciali.*

100. Testimonia *adnotanda* in *Protocollo:*

101. Et *vivâ voce,* non *scriptò,* *præferenda.*

Testes, in quacunque causa in *79.* iudicio deponentes, non juratos duntaxat, sed & jejunos esse, placuit Synodo Maticensi relata, *c.*

1. Quò autem sensu ab ista jejunium illis injunctum sit, non satis liquet ex *c. 1. cit. verbis,* nec convenit inter DD. horum enim non pauci textu illò, ne ad testificandum ebrius admittatur, cautum volunt; quòd ad aliquid asserendum ebrius impetu rapiatur potius, quàm ratione moveatur, arg. *l. Perficiendum 11. §. 2. V. Impetu, ff. de Pœnis.* Alii, à testimonio non ebrios solum arceri, sed jejunos quoque desiderari: at ex mera honestate, ob reverentiam juramenti, præmittendi eorum depositioni, & ex eadem præstandi à jejunis, ex decreto Cornelii Papæ *can. Honestum, 22. q. 5.* ubi *Honestum,* inquit, *etiam videtur, ut, qui in Sanctis audeat jurare, hoc jejunium faciat cum omni honestate & timore Dei.* Rursum alii, ut quasdam alias solennitates, sic & jejunium in præstantibus juramentum, & propter hoc in testificatione Judiciali, præcepti, *c. 1. cit. impositi,* necessitate fuisse observandum, & non jejunium non idoneum testem fuisse, existimant cum S. Thoma *2.2. q. 89. art. 10.* Cujus hac de re sententiam cæteris quidem præfert, sed cum *can. Decrevit q. 2. cit.* hanc quoque jejunii solennitatem non usu antiquatam, ait Barboza in *c. 1. cit. n. 3.* ut, licet ebrii, perinde ut mente capti, testimonium ho-

um hodiè que reprobetur, legitimum tamen & omni ex parte honestum reputetur testimonium, & ipsum etiam juramentum, quod præstitit non jejunos: eumque non usum, sive præfco Ecclesiæ Juri hac in re derogantem Consuetudinem, cum Glossa in *can. Decevit. cit.* approbat Felinus in *c. 1. n. 3.*

81. Modernò ergo Jure post præstitum à testibus, etiam non jejunis, juramentum Veritatis proceditur ad eorum examen: idque peragit judex ipsemet, secundum *Novell. 6. cap. 2.* Nisi testes alienæ jurisdictioni subiecti, aut quò minus in judicio personaliter compareant, privilegiati sint, vel iple, urgente negotiorum multitudine, prohibeatur; tali enim casu proprio eorum judici requisito, vel Notario, vel alteri viro discreto committendum esse, dictum *n. 45.*

82. Examen autem illud peragendum est secretò, hoc est, partibus litigantibus remotis: & singillatim, hoc est, non omnes vel plures simul, sed singulos seorsim, & non præsentibus aliis, examinandò, *c. Venerabili 52.* juxta exemplum Danielis, in examine duorum senum adversus Susannam testificantium, eos separantis, *cap. 3. v. 51. ne,* si omnes aut plures simul: aut singuli quidem, sed aliis præsentibus, examinentur, unus instruat alterum, & prius deponentis dictum posterior sequatur; itaque vera falsane sint eorum testimonia, judex non facile deprehendat, Glossa in *c. cit. v. Sigillatim,* ubi Panormit. *n. 1.* Felinus *n. 3.* & Farinac. *q. 80. n. 93. § 94.*

83. Deinde iidem examinandi sunt diligenter sive accuratè; ut non solum de negotio seu facto principali, v.g. de contractu, aliòve actu, de perpetrato homicidio, aut furto commisso, quod sciunt, edicant: sed scientiæ quoque, sive suæ de eo notitiæ causam & rationem reddant, *can. Si te-*

tes 2. §. Solam. 4. q. 3. c. Cum causam 37. ibi, *Prudenter inquirens de causis, hic & Novell. 90. cap. 2.* ibi, *Aut etiam causam testimonii faciant manifestam;* adeò; ut, si testis interrogatus scientiæ suæ rationem non reddiderit, aut reddiderit ineptam, depositio nullius sit momenti, *l. Solam 4. C. hic;* nam ratio dicti sive scientiæ ejus, quod deponit, dicto probandi vim confert; ut, licet per se solum legitimi testimonii vim non habeat, ratione tamen sive congruâ scientiæ causâ reddiditâ veri testimonii & probationis efficaciam acquirat. Cujus ratio ulterior est quia testis deponere debet de eo, quod scit: scire autem rem non intelligitur, qui suæ de ea scientiæ causam reddere nequit, cum scire sit rem cognoscere per causam, Glossa in *c. Cum causam cit. v. De causis,* & ibi Felinus, rem hanc declarans apposito exemplò testis, à se ex parte flante noctu Sempronium à Titio occidi vim asserentis, & ob non redditam scientiæ suæ congruam rationem reprobatur quòd, cum cædis perpetrata tempore Lunam hypogæam; ac proinde noctem atram & omnino tenebricosam fuisse, constaret: iple autem interrogatus, an cædis locus face aut lumine aliquo illustratus fuerit, interrogatus negavit; itaque à se vim asseruerit, quod propter Lunaris & alterius lucis defectum non poterat videri.

Causam autem sive scientiæ suæ rationem sufficientem reddere testis censetur: si id, quod asserit, visu, auditu, aliòve sensu corporeo perceptum asserit: vel, si res, de qua interrogatus deponit, sensu perceptibilis non sit, ut v.g. est dominium fundi, testificans Titium ejus dominum esse, lectum à se instrumentum, quò fundus ei legatus: se præsentem fuisse donationi, ejusque traditioni facta à venditore, Panorm. in *c. Cum causam cit. n. 6. § 8.* Felinus *cit. n. 5.* & Farinac. *q. 70. n. 6.* Unde Dubium

85. Dubium nascitur, quam probandi vim habeant testes de Credulitate. Nullam aut exiguam habere, desumi videtur ex *c. Terio* 13. de *Presumpt.* cujus textu prodelicti carnalis probatione insufficiente habetur testimonium plurium, deponentium de credulitate, conjunctum cum praesumptione: & ex eo; quod testis suae de re aut facto scientiam rationem reddere debeat, §. *Solum* & *c. Cum causam cit.* quod non potest, qui ejus credulitatem duntaxat, non scientiam habet.

Sed licet ob hanc rationem, qui per verba, *Credo, Puto, Arbitror*, deponunt, duo tresve testes regulariter non probent: imò nec testes esse videantur, Glossa in *c. Quoties* 5. V. *Credere, ubi* Panormit. n. 7. *cit. Speculat. de Teste* §. 1. n. 98. Non desunt tamen casus & causae, in quibus non solum contra producentem, contra quem eis plenè probandi vim cum Jalone in *Rubric. ff. de Jurejurando*, n. 9. & aliis idem Farinac. n. 75. adstruit: sed contra istius etiam adversarium admittuntur; sic enim Medicis, chirurgis, obstetricibus & similibus super iis, quae ejusmodi artis aut officii peritiâ percipiuntur, fides habetur, etiam si de sola credulitate deponant, Felin. in *c. Quoties* cit. n. 11. Panormit. *ibid.* n. 6. & Farinac. l. cit. n. 95. Eadem fides habetur etiam aliis, cum deponunt de antiquis, ætatem & memoriam hominum excedentibus: de occultis & aliis, quae moraliter certò sciri non possunt, vg. quòd quis sit filius Titii; nam ut tritum habet, *Mater certa, Pater incertus est*: cum agitur de probanda alicujus innocentia, vg. cum testis deponit, se quidem vidisse Titium à Cajo occidi: sed firmiter credere, quòd non dolosè, sed ad sui necessariam defensionem occiderit; quia hoc pendet ab interna animi affectione: de qua non nisi moraliter probabilitate conjici potest, *cit. Fa-*

rinac. à num. 77.

Eadem ferè, quae deponentium de 87. Credulitate, ratio est testificantium de Auditu. Non quidem proprio; quia, quae sensu isto percipi possunt, auditu à se percepta, vg. injuriam verbalem irrogatam testificans, fidem non minorem meretur, quam alius, qui de re visu percepta deponit, ut ex *c. Ex literis* 2. ibi, *Sub testimonio videntium & audientium, de Consuetud.* desumitur, & nemo est, qui inficias eat. Sed de alieno, puta, si quid in 88. judicio adstruens sui dicti causam reddat; quod id ab aliis fide dignis audiverit. Quò modò deponentes regulariter non probare: imò nec testes propriè esse, Regulae instar tradit, & ex *c. Licet* 47. V. *Statuimus*, cum Panormit. n. 1. & aliis Interpp. ac DD. desumit *cit. Farinac. q. 69. n. 2. & 7.* Ratio est; quia testes regulariter deponere debent de iis, quae per proprium sensum perciperunt, sive, ut *can. Testes*, 3. q. 9. dicitur, quae sub eorum praesentia acta esse noscuntur: quae autem audivit alius, non ipsi praesentes noverunt; quia neque dictum ab aliis auditum, neque auditum ipsum audiverunt; cum non auditus ipse, sed istius tantum relatio audiatur, ut Baldus in l. 1. §. 7. ff. de *Aqua pluvia arc.* n. 5. & Bartol. *Tract. de Testib.* n. 10. observant.

Hoc tamen, ut insinuat, Regulae 89. re: non perpetuum est; cum non desint varii casus, quibus testes de auditu, sive aliorum relatione deponentes recipiuntur: veluti, si interrogati testificentur de rebus, quae sunt difficilis probationis; de factis antiquis & hominum viventium memoriâ excedentibus, atq; occultis &c. quia in ejusmodi factis credulitas & rationabilis opinio pro veritate habetur. *l. Si arbiter* 2. §. ff. de *Probat. & l. In summa* 2. §. 7. ff. de *Aqua pluv. arcenda*, Glossa *ibi* & in *c. Licet* *cit. Butrio* n. 8. & generaliter

Z z

raiter

raliter in casibus admittentibus testes de credulitate, Farinac. q. cit. num. 48.

90. Specialiter autem de alieno auditu deponentibus fides habetur in causa Matrimoniali, quâ de conjugio propter consanguinitatem vel affinitatem dissolvendo agitur, c. Quoties, & c. Licet cit. ex quorum textu posteriori, ut testimonia de auditu impedimento illo sufficienter probent, DD. exigunt Imprimis; ut hujusmodi testes sint omni exceptione majores. Deinde; ut eorum authores, sive ii, ex quibus personas aliquas consanguinitate vel affinitate conjunctas esse, à se auditum asserunt, sint viri graves, ipsorum majores &, ut minimum, duo. Demum; ut Cognationis vel Affinitatis, quâ personæ asseruntur esse conjunctæ, gradus declarent; easque ita conjunctas ante litem motam à se auditum, & omnino credi, jurati asseverent, Farinac. q. 79. à num. 105.

91. Præterea testes, cum judicialiter examinantur, interrogari & exprimere debent negotii seu facti circumstantias, præsertim Loci, puta, civitatis, domus, cubiculi, ac Temporis, scilicet anni, mensis & diei, quod actus gestus, aut delictum est commissum, c. Causam cit. quia, ut in hunc textum Glossa, V. Circumstantiæ, advertit, si loci, temporis & similes circumstantiæ aliæ exprimantur, judex facilius pervenit ad rei veritatem: & an testes istius aut sequiori aliquo studio vel affectu ducti deponant; cum, si in his aliisque circumstantiis discordent, vel de actibus diversis, vel de uno eodemque actu, ut de Susannæ crimine duo senes, Daniel. cap. 13. V. 55. & 58. contraria deponere intelligantur; ac proinde, si diversi, de quibus deponunt, actus ad fidem de eodem faciendam non tendant, tanquam diversificativè vel adversativè singulares, vel diversos actus singuli non

plene, vel de eodem actu, quod eorum dicta se mutuo evertant, nihil probant, juxta dicta n. 74. & 78. Unde

Dubium oritur, de vi probandi, quam habent testes inter se Contrarii: in quo Regulæ instar tenendum est, eorum, si ve æqualium numero, sive inæqualium, sive ab uno, sive à diversis productorum dicta verisimili interpretatione, si commodè, verbis etiam improprie acceptis, possint, in concordiam reducenda, arg. can. Periculosè 23. dist. 1. de Penit. 6. Nihil 7. de V. S. & c. Cùm tu 16. sic. quod postremò textu relatus Alexander III. dicta testium, quorum aliqui Excommunicationem post appellationem: alii eam antè hanc ab Archi-Episcopi sententia interpositam, inflictam fuisse, jurati deposuerunt, ita benignè interpretatus est; ut priores de prima, posteriores de secunda Excommunicatione intelligerentur, itaque sibi non adversarentur: idque non solum; ut evitaretur reatus: sed etiam, ut, sublatâ contrarietate, legitima probatio induceretur, & depositiones valerent potius, quam perirent, l. Quoties 12. ff. de Reb. dub. Barbosa in c. Cùm tu cit. n. 3. Gonzalez ibid. n. 6. cit. & Farinac. q. 85. à num. 37.

Si testium dicta ita sibi adversarentur, ut commodâ interpretatione inter se conciliari non possint, multum refert, an à diversis, scilicet alii ab Actore, alii à Reo, vel ab eorum uno omnes sint producti; cum, si producti sint à diversis, & hi illis inæquali numero contradicant, cæteris paribus, plures paucioribus præferantur; ut ex tribus testibus omni exceptione majoribus duo plene probent; etiam si tertius contradicat, c. Licet 9. V. Ex promissis, de Probat. & c. In nostra 32. ubi Glossa, V. Adversa, Ant. de Butriom. 6. Panormit. pr. & n. 1. Farinacius q. 85. n. 107. quia verisimilius est, quod plures rei

res rei veritatem melius sciant, quam pauciores; cum, ut *c. Licet cit.* dicitur, *Pluribus lax veritatis assistat.* Si verò à diversis producti sibi æquali utrinque numero contradicant; cæteris paribus, fides potius habenda est deponentibus pro reo; quia istius causa favorabilior habetur, *c. Ex literis 3. de Probat.* præterquam in causis specialiter favorabilibus, ut sunt matrimonii, dotis, testamenti, libertatis, Ecclesiæ, pauperum & similes; in his enim pro actore eas fovente contra reum est pronuntiandum, *c. fin. de Sent. & rejudic. Et Inter pares, 38. ff. de Rejudic.* Glossa *fin. in c. In nostra 32. ubi Panormit. n. 4. & cit. Farinac. à n. 162.*

94. Si omnes producti sint ab eodem, v.g. ab actore; & eorum aliqui aliis, numero tamen inæquali, contrarii sint, v.g. si duo vel tres pro actore, unus contra ipsum testificentur, plures præferuntur; ut duo, cæteris paribus, plenè probent perinde, ut si ipsis contraria deponens tertius non fuisset. Quod locum maximè habet, si non in substantia negotii, sed in illius tantùm circumstantiis & qualitibus contrarii sint, *c. In nostra cit. ubi Glossa, V. Adversa, Butrio num. 2. Et alii DD. relatis, Farinac. cit. q. 61. n. 107.* Si autem ab actore v.g. producti & inter se contrarii testes numero æquales sint, cæteris omnino paribus, nihil probant; cum non sit ratio, cur uni potius, quàm alteri parti fides habeatur; cum una alterius dicta enervet, Glossa *in l. Qui falso, 16. V. Puniantur. ff. de Testibus, Panormit. in c. In nostra cit. n. 3. Berojus in c. Licet cit. n. 37. & Farinac. q. 65. n. 2.*

95. Dixi, *Cæteris paribus*; quia, si hæc paria non sint, ex testibus contrariis solò numero, non etiam quoad alia, paribus præferendi sunt, qui dignitate & aliis qualitibus, testimoniorum fidem augmentibus, excellunt, vel de re, super qua te-

stificantur, magis sunt informati, *c. In nostra cit. Felin. ibi n. 10.* qui verisimiliora, *l. Ob crimen 2. §. fin. ff. hie, vel pro parte, Juris communis præsumptionem pro se habente, Baldus in §. cit. n. 1. vel in favorem rei, aut causæ aliunde magis favorabilis, Glossa cit. in c. In nostra cit. Et ibi Butrio num. 8. vel de re in specie, non in genere tantùm: pro antiquiore, non recentiore, & titulò non munita possessione &c. deponunt, ut latè Farinac. q. cit. à n. 107. & Haunold, Tom. 5. de J. & J. tract. 4. à n. 304.*

Dubium etiam est de testibus contrariis sibi ipsis. Quorum an priori vel posteriori dicto fides habenda sit, planum reddet distinctio inter quatuor casus.

Primò enim, si testis sibi contrarius prius suum dictum in continenti, hoc est, ante perfectum examen, vel recessum à conspectu judicis, aut saltem antequam locutus sit parti, sponte corrigendò revocet, fides dicto posteriori habenda est, *c. Præterea 7. de Testib. cog.* cujus tenor est, *Quorum testimonia, si quandoque, non studiosè, sed in proferendo erraverint, & se in continenti correxerint, reprobari non debent.* Ratio est; quia in continenti se corrigentis prius dictum ex errore processisse, & correctio actui inesse præsumitur, Butrio *in c. cit. num. 13. Panormit. ibid. num. 12. Felin. n. 10. & Farinac. q. 66. n. 229.*

Secundò, eòdem ferè modò standum videtur dicto posteriori, si prius etiam ex intervallo, sed ante factam attestationem publicationem, corrigens vel revocans, errorem, istiusque justam causam probet, & aliàs homo sit fidei probatæ; quia etiam, qui sic revocat, deceptus, reive oblitus esse videri potest, Menoch *de Arbitr. casu 106. num. 7. Farinac. ibid. à num. 245.*

22

Tertiò;

97. Tertio, si verò prius dictum ex intervallo revocans erroris sui causam non reddat, an alicui, vel neutri credendum, controversia est inter DD. quibusdam cum Covarruvia *Lib. 2. Var. cap. 13. n. 8.* & Menochio *cit. casu 108. n. 10.* priori: aliis cum Ant. de Butrio *in c. Cum in tua 44. hic.* & Baldo *in l. Gesta 6. C. de Re ju-*

98. *dic. neutri credendum, asserentibus.* Mihi in re satis accipiti priori ejus dicto fides habenda eò saltem casu videtur, quò intercedentis subornationis, sive testem à litigantium altero ad dicti sui revocationem inductum, esset suspicio, & aliunde probari non posset prioris dicti falsitas, & veritas posterioris: sicut tali casu prior confessio posteriori præfertur, *c. Per tuas 10. de Probat.* quòd indignum videatur; ut, quod suà quisque voce protestatus est: propriò valeat testimoniò infirmare; nam etiam testis, id, quod juratus in judicio deposuit, ex intervallo revocans, dictum posterius contra prius, sive ad id infirmandum facillè non admittitur, *c. Sicut 9. hic.* & *c. Præterea cit. verbis.* *Secus autem erit*, id est, reprobari debent, *Si correctioni sue interposuerint intervallum.* Ratio est; quia ex intervallo facta revocatio profecta videtur à periuro, Panormit. *in c. Cum in tua cit. n. 9. Felin. ibid. n. 4. & cit. Farinac. à n. 124.* Si verò absit suspicio subornationis, an & cui credendum, cum Fachineo *Lib. 10. cap. 84. n. 10.* iudicis, negotiù, personæ & dictorum qualitatem ponderantis, prudenti arbitrio relinquendum, censeo admonitus illò Hadriani Imp. Vivio Varo rescribentis, eum, qui iudicat, magis scire posse, quanta fides habenda sit testibus, *l. Testium 3. pr. V. Ideoque. ff. hic.* Verba Epistolæ notatù digna hæc sunt. *Tu magis scire potes, quanta fides habenda sit testibus: qui & cujus dignitatis, & cujus assimationis sint, & qui simpliciter visi*

sunt dicere, utrum unum eundemque modicum sermonem attulerint: an ad ea, qua interrogaveras, ex tempore verisimilia responderint.

Quartò, si tamen prius dictum fuisset extrajudiciale, posterius autem judiciale, huic, non illi, fides est adhibenda; quia judiciale ob reverentiam & timorem Dei, præviò juramentò in testem invocati, & præsentis iudicis auctoritatem, magis deliberatè prolaturum præsumitur; ac proinde, tanquam assertio qualificata, meritiò præfertur simplici assertioni priori, aut etiam posteriori, Felin. *l. cit. n. 6. Claros §. fin. q. 57. n. 11. & 12. Menoch. cit. casu 108. n. 22. Gaill. Lib. 1. observat. 104. à n. 7. Farinac. ibid. n. 90.*

Demum examinatorum testium vi-
vâ voce prolata testimonia, à Notario fideliter in Protocollo relata, testij prælegenda sunt; ut, si fortè ipse factum ejusq; circumstantias exponendò, aut notarius ejus dicta adnotandò, erravit, id corrigi possit. Si autem correctâ aut confirmata sint, testibus silentium imponi & præcipi debet; ne depositiones suas, donec in judicio publicatæ sint, alicui præsertim ex litigantibus revelet, Pirring. *ad hanc Rybric. n. 200.* Ubi

Dubium est, an testimonium ferri
nequeat scriptò. De Jure posse, sustinet Bartol. *in l. Theopompus 14. ff. de Dicit. præleg.* Sed meliùs cum Saliceto *in l. Jurisjurandi 8. C. hic. n. 8.* & aliis depositiones expressas scriptò, si non vivâ voce proferantur, de Jure non probare, docet Farin. *Prax. Criminal. q. 8. n. 27.* propter textum *can. Testes. 3. q. 9. can. Relatum, q. 2. & c. A nobis 2. Qui matrim. accus.* Et hoc sensu, *Non testimonium*, hoc est, tabellæ vel chartæ in cistâ conjectæ & testimonium continenti, sed testibus credendum, asseritur, *c. Tua nos, 8. de Cohabit. cleric. & l. Testium, 3. §. 3. ff. hic.* Ratio est; quia

est; quia iudex, si potest, videre & audire debet, quò vultu, quà constantià sermonis testificans deponat: & depositionis sensus ac veritas ex vocibus melius, quàm ex scripto cognoscitur, Panormit. in *e. De testibus* 29. n. 10. ubi ipse & *cir. Farinac. à n. 39.* excipiunt mutum, qui scribere novit: & pràter nonnullos alios, præcipuè casum, quò scriptò traditas depositiones in Provincia aliqua admittit Curiarum praxis & consuetudo, ut de illustribus & nobilibus Personis dictum est n. 57.

ARTICULUS VII. De Attestationum Publicatione & Exceptionibus contra eas.

SUMMARIUM.

102. Testi objecta exceptio probari per testes:
103. Hi per alios: non etiam isti reprobantur valent.
104. Discussis exceptionibus, ulteriori productioni renuntiat, ut
105. Et sit publicatio attestatorum:
106. Quà etiam omissa, Processus valet.
107. Attestationes publicata etiam in alio iudicio,
108. Sed inter eas tantum personas si dem faciunt.
109. Si publicatis, contra testium personas non excipitur,
110. Quatuor casibus exceptis.
111. Excipi tamen contra eorum examen,
112. Et contra dicta,
113. A litigantibus utroque potest.
114. Contra contenta in instrumento, qui id produxit, excipere nequit.

115. Post publicationem illam nova testium receptioni locus non est:

116. Nisi testes prius non judicialiter,

117. Aut non legitime sint recepti.

118. Excipiuntur etiam Matrimoniales,

119. Et nonnulla alia causa.

Examinatis testibus & Attestationibus, sive eorum depositionibus receptis, admittitur adversarius ad probationem eorum, quæ in testium contra se productorum personas objicit: si ad eorum probationem ante illorum examen à iudice non fuit admittus. Quòd si ad objectorum probationem testes etiam ipse producat, ejus adversarius, v.g. actor, vicissim hos testes, ad infringendam vel diminuendam eorum fidem, per alios sive tertios testes permittitur reprobare. Ulterius autem testes reprobatoriorum reprobatorios, sive, qui ab actore productos testes tertios, tanquam suspectos aut inhabiles reprobent, producere non licet, *e. Licet* 49. cum; ne reprobationum vicissitudine litigantes progrediantur in infinitum, & litis nullus sit finis, contra *e. Finem* 5. de Dolo: tum verò; quòd hæc reprobatio suà naturà sit odiosa & propterea merito restringenda, ut in *e. cir. cum Glossa V. Quos*, notant Hostiens. & Panormit. uterque n. 1. Gonzalez n. 6. & Perez in *C. hic*, n. 27.

Neque ita, ut videri potest, receditur ab æqualitate, in iudiciis servanda inter actorem & reum, *e. fin. de Mutuis petit.* quia imprimis, si uterque, actor ad intentionem, reus verò ad exceptionem suam probandam testes produxit, inæqualitas inter eos aperte nulla est; cum a se productorum reprobatorios per alios testes reprobare valeat uterque. Deinde; quia æqualitas etiam servatur, cum ad assertionis suæ probationem testes alter solus producit; cum, quando intentionem su-

Z z 3

am pro.

am probat, ac se five primò productorum reprobatorios, five testes secundos per tertios valeat reprobare. Et demum; quia omni casu ab adversario suo productorum testium reprobatio semel concessa utrique: & reprobatoriorum reprobatorios, five tertios testes per quartos reprobare, neutri est, concessum, Panormit. cit. n. 1. & in c. Licet cit. Gonzalez n. 6.

¶ 04. Discussis huiusmodi exceptionibus: vel, si nullæ objectæ sunt, peractò testium examine, iudex partes litigantes, maximè eam, contra quam illi sunt producti, citare, iisque in sua præsentia constitutis (vel etiam per contumacia absentibus; cum tales pro præsentibus habeantur, c. In nomine 2.) operam dare debet; ut renuntiet ulteriori productioni: quod ordinariè post tertiam: post quartam verò raro & non nisi cum Legali solennitate n. 62. declarata concedendam, semper debent, c. In causis 16. & c. Ultra 55. Eà renuntiatione factà & litigantibus petentibus, vel saltem consentientibus, secretò examine recepta dicta, & depositiones testium, Notariò ea legente, publicantur, earumque copia communicatur partibus, Originali apud Acta remanente, c. Quoniam 11. V. Et omnia, de Probat. Speculat. de Teste. §. 8. n. 1. & Perez in c. hic, n. 28. Ubi

¶ 05. Dubium est, an hæc attestatorum publicatio sit de substantia processûs. Adferere hoc, eaque omisâ processum pro invalido habere, videtur Accursius in l. Prolatam 4. c. de Sent. & Interlocut. apud Gaill. Lib. 1. observat. 105. n. 1. Melius tamen iste testimoniorum publicationem de substantia processûs non esse; ac proinde, si ea non petita omittatur, vel ab eius petita denegatione non appelletur, sententiam omnino subsistere, docet cum Panormit. c. Cum J. & A. 2. de Sent. & Rejud. n. 10. Claro §. fin. q. 61. pr. & Menoch. de Arbitr. lib. 1. q. 33. a n. 1. quòd iudici

attestationes, aliæque acta iudicii & allegata partium iura, ex quibus sententia ferenda est, semper sint publicata.

Hujus autem Publicationis tres præcipuè sunt effectus. Primus; quòd attestations in causa aliqua, coram uno legitime receptæ & publicatæ, in eadem causa & inter easdè personas, eisque succedentes, aut ab iis jus habentes, coram alio iudice probent, c. fin. de Probat. c. Causam 11. & l. fin. c. hic. Ratio est; quia ex eis habetur veritas facti, quæ semper & ubique est una. Imò testimonia legitime recepta in uno, quantumvis in eo publicata non sint, fidem in alio iudicio producta facere, volunt Panormit. in c. Causam cit. n. 6. Decius in l. Is apud 2. c. de Edendo, n. 60. & ibi Ripa n. 30. exemplo attestatorum, ad perpetuam rei memoriam à senibus, valetudinariis, & similibus personis receptorum: quas non publicatas probare, cum Felino in c. cit. n. 17. & alii docet Farinac. Prax. Criminal. q. 75. n. 25.

Neque obstat; quòd attestations in iudicio receptæ pertineant ad Acta iudicialia, c. Quoniam 11. de Probat. quæ, peremptà instantiâ, pereunt, ut in alio iudicio non faciant fidem, l. Cum lite 2. §. Jud. solvi quia hoc verum duntaxat est de Actis Ordinariis iudicii; ut sunt citatio, libelli oblatio, litis contestatio &c. Alia ratio est Actorum Probatoriorum: ut sunt confessiones, attestations & cetera, quibus instruitur causa; hæc enim, sicut in eo, in quo recepta & publicata sunt, ita etiam, si in alio iudicio producantur, in eadem causa & inter easdem personas faciunt fidem, Felinus in c. cit. n. 5. Speculat. de Probat. §. 3. n. 20. Tulchus Practic. V. Acta, conclus. 91. n. 4. & Mascard. de Probat. conclus. 33. n. 8.

Dixi, Inter easdem personas; quia aliis nec prodesse, nec obesse solent; cum regulare sit, inter alios acta aliis non præiudicare.

judicare, e. Inter dilectos 6. §. Porro, de Fide Instrument. §. c. Quamvis 25. de Sent. & rejudic. Licet autem ejusmodi attestaciones contra alios plenam fidem non faciant, alicujus tamen contra eos præsumptionis vel semiplenæ probationis vim eis tribuunt Panormit. in c. Causâ cit. n. 4. & Felinus ibid. n. 18.

109. Alter ejus Publicationis effectus est; quòd post eam exceptiones contra testes regulariter non admittantur, ex decisione Innocentii III. c. Presentium 31. relatâ. Sunt autem hujusmodi exceptionum tria genera: quorum

Primum spectat ipsas testium personas; quòd ad testimonium dicendum, vel omnino, vel ratione causæ, vel eorum, inter quos hæc vertitur, inhabiles sint: quæ post attestacionum publicationem non admittuntur ex decisione allegata & justissima ratione; quòd contra eas tum demum opponens, postquam contra se testimonium dixisse cognovit, malitiosâ exceptione uti præsumatur; cum reprobet eos, quorum, coram se productorum, & ad juramentum atque examen sine oppositione admissorum, personas tacitè approbavit. Unde illis jam publicatis propter subornationis periculum, sicut, ut mox dicemus, novi testes produci, sic etiam productis, jamque receptis eiusmodi exceptiones obijci non permittuntur, Panormit. in c. cit. n. 2. Innocent. ibid. n. 2. & Covarruvias Practic. cap. 18. n. 5.

110. Excipiuntur tamen, & c. cit. referuntur tres casus, quibus contra testium personas excipi post attestaciones iam publicatas potest. Primò quidem, si, cum producerentur, & ante examen à reo, quod iis opponat, se habere, facta sit protestatio, vel opponendi facultas reservata; quia huiusmodi protestatio & reservatio suspicionem malitiæ, & tacitæ approbationis præsumptionem tollit. Secundo, si idem probet, & ferè etiam iuramentò

firmet, eas, quas contra personas oppositurus est, iustæ suspicionis exceptionem post attestaciones jam publicatas ad suam notitiam pervenisse: c. Pastoralis 4. de Except. imò etiam, qui c. cit. exceptus tertius casus est, si idem reus juret, quòd contra eorum personas opponendò malitiosè non agat; quia suspicionem & præsumptionem illam juramentum non minùs, quàm prævia protestatio, aut reservatio, elidit, Interpp. cit. & Barbosa in c. cit. n. 5. quibus quartum addit Everardus de Testib. p. 6. cap. 7. n. 6. si pars probet, se, quòd minùs adversus testium personas sibi competentes exceptiones opponeret, à iudice impeditum; cum ab isto impeditus Dilatorias exceptiones opponeret post litem contestatam permittatur, Glossa in c. Ex conquestione 10. V. Ante, de Restit. Spoliar. & Felin. in c. Presentium cit. n. 3.

Alterum exceptionum genus spectat testium examen, puta; quòd testes non legitime, hoc est, vel à iudice incompetente: vel parte adversâ ad eorum productionem non citatâ: vel sine prævio juramento: vel publicè plures simul, aut non diligenter: vel ante litem contestationem: vel post tertiam productionem, sine solennitate Legali: vel primùm post publicatas vel cognitatas aliorum depositiones &c. sint recepti, Everardus Tract. cit. cap. 6. à n. 1. Cujusmodi exceptiones post attestaciones jam publicatas opponi possunt, arg. à contrario c. Presentium cit.

111. Tertium earum genus spectat testium depositiones, sive eorum dicta, puta; quòd ea contraria, usq; unus alteri, aut sibi ipsi contradicat: quòd ea obscura, ambigua, non verisimilia, non congruentia factò aut naturæ rei: quòd vaga, extra interrogatoria dicta, aut singularia sint: quòd non reddant idoneam scientiæ causam, aut de credulitate, vel alieno auditu deponant &c. Cujusmodi exceptiones non ante, sed post attestacionum publicationem

tionem primùm opponi posse, patet; cùm enim ante hanc factam testium dicta partes lateant, an aliqua, & quæ adversus ea exceptio sibi competat, scire non possunt.

413. Opponere autem, postquam publicata sunt, contra eorum dicta non solum, contra quem: sed ille etiam potest, à quo sunt producti, secundum Gloss. in *c. Presentium cit. V. Si quis*, & Panormit. in *c. cit. n. 7.* Quod tamen dubium inde reddi videtur; quòd ab isto testium personæ, tanquam fide dignæ, & rei, super qua producti sunt, notitiam habentes, sint approbatæ; ac proinde eorum testimonio, tanquam veritati non consona, non valeant reprobari *arg. Reg. Quod semel. 21. in 6.* sicut reprobari ab eo non possunt contenta in instrumento, quod produxit, per ea, quæ in *c. Cùm olim 19. de Censibus*, Innocentius *n. 5.* & alii Interpp. tradunt. Imò ei etiam, contra quem producti sunt, adversus testium dicta opponere volenti obflare videtur; quòd eos, sine ulla protestatione & exceptionis reservatione ad examen admittendò, non obscure approbavit.

Sed rationes istæ leviores sunt, quàm ut contra testium dicta opponendi jus alterutri adimant, aut dubium reddant; quia, licet eorum productione & ad examen admittance approbarent personas: non tamen etiam approbarent eorum dicta, & depositiones, vel contra has opponendi juri renuntiarent; cùm ex una, cujusmodi ipsorum dicta futura sint, ignorarent: ex altera verò parte, ea, quæ ignorantur, approbata etiam tacite non censentur, *arg. l. Nec ignorans 10. C. de Donat. cùm ignorantia excludat consensum, l. cit. C. l. Si per errorem 15. ff. de Jurisdic. qui in omni approbatione & renuntiatione etiam tacita necessarius est, l. Cùm Aquiliana 5. ff. de Transact. Everardus Tract. cit. cap. 7. n. 1.*

Neque paritas est cum instrumentis, cùm enim hoc producus in eo contenta, an ad intentionis suæ probationem aliquid conferant, vel ei obtent, potuerit, & antequam id in iudicio exhiberet, deberit prævidere, ipsa productione in eo contenta censetur approbasse; non sic etiam dicta testium à se productorum; cùm illi facile mutent: & quod asserione sua firmari creduntur, non raro inficiando revertant, Glossa *cit.* & Innocent. *cit. n. 5.*

Tertius effectus est; quòd post attestationem ritè receptarum publicationem neque priores, neque novi testes produci & recipi super iisdem vel directè contrariis articulis, sicut in eadem, sic etiam in secunda instantia, five appellationis iudicio possint: quod cum Panormit. *in Frat. n. 4.* *cit.* *Speculat. de Teste, §. 8. n. 3.* & alii DD. Regulæ instar tradit *cit. Farinacius 975. à n. 68.* Cujus prima pars, de prioribus, sed legitime receptis super iisdem, *Frat. n. 4. cit.* utraque & tertia quæque de iisdem & novis testibus, super directè contrariis articulis, etiam in secunda instantia, non recipiendis, tradita est *Clement. Testibus 2.* quibus aliisque iuribus Ecclesiasticis facem prætulisse videtur sanctio Imperialis *Novell. 90. cap. 4. §. 1.* & in utroque Foro standum monet Bruneman. *in l. Eos qui 6. §. 1. C. de Appellat. n. 11.* Ratio est partim; quòd si attestationibus jam publicatis, nova aliorum, aut eorundem testium productio receptivè admittatur, non vanus timor & periculum sit; ne pretiò corrupti attestationibus addant, vel detrahant, quòd sibi deesse, aut superesse pars advertit: partim verò; ut productionibus statuat terminus, & lis ad finem citius perducatur, Glossa *in c. In causis cit. V. Productionem.* Accedit; quòd ipsa publicatione in eamve consensu ulteriori testimonium

stium productioni tacite renuntiatum; ac proinde ad eam regressus sit præclusus, *can. Quàm periculosum, 7. q. 1. Et l. Queritur 14. §. 9. ff. de Edil. editio.*

116. Neque huic Regulæ adversatur textus *l. fm. C. hic*, eorundem & novorum testium productionem, super iisdem articulis, discretè permittentis; quia in ea sermo est de receptis minus judicialiter: non à iudice, habente jurisdictionem, sed ab arbitro, istà carente, *l. Privatorum 3. C. de Jurisdic. omn. jud.* Barbosa *in Clem. cit. n. 6.*

Neque etiam *l. Eos qui 6. §. 1. cit. Et l. Per banc 4. C. de Temp. appell.* quia *ll.* illas de articulis non iisdem, sed novis: non quidem ad eam causam, de qua agitur, non pertinentibus, eamque non adjuvantibus; cum huiusmodi articuli in omni causa rejiciantur, Panormit. *in c. Fraternitatis cit. n. 8.* sed ab iisdem, sive antiquis dependentibus, iuxta *c. Cum causa 42.* exaudiendas, cum Glossa *in c. Fraternitatis cit. V. Novis*, notat *cit.* Barbosa *n. 6.* & non obscure insinuat Bruneman *in l. Per banc cit. n. 12.* de cuiusmodi articulis, à prioribus dependentibus vulgatum, *Non allegata allegabo, non probata probabo*, procedere, *in c. cit.* advertit Gonzalez *n. 6.*

117. Dixi autem, *Rite receptorum*, ut *Clement. cit.* textus habet; quia, si testes non legitime, hoc est, à iudice incompetente, vel ante litis contestationem, aut sine iuramento recepti, vel super aliquibus articulis, super quibus eos interrogari, initio petum fuit, omnino vel sufficienter examinati non fuissent: vel obscuræ aut ambiguae essent eorum depositiones, super iisdem articulis denuo examinari possent, *c. Per tuas cit. Et c. Clamor 13.* cum; quod non legitime factum, & non factum paria sint: tum verò; quod negligentia iudicis obesse non debeat par-

ti, Panormit. *in c. Per tuas cit. n. 7.* Baldus *in c. Fraternitatis cit. n. 10.* & *cit.* Farinac. *q. 75. n. 358.*

Præter hunc casum iisdem vel aliis testes super iisdem & directè contrariis articulis recipi permittuntur. Primo pro matrimonio conservando, sive ad probandum, inter personas eò coniunctas non intercedere, quod allegatum fuit, impedimentum, *c. Series 26.* & satis probabiliter etiam pro matrimonio dissolvendo, sive ad probandum impedimentum, præsertim quod Lege Divina est introductum; ne in animarum suarum ruinam separentur, & ad alias nuptias transeant personæ legitime coniunctæ: vel in coniugio perseverent, qui matrimoniali vinculo coniungi non potuerunt, *Gloss. fm. in c. cit. ubi Baldus n. 2.* Lanfranc. *de Testibus n. 45.* & Farinac. *q. cit. n. 401.*

Secundò, in causis Criminalibus ad ostendendam innocentiam rei, *l. Unius 18. §. 9. ibi, Defensionem quocunque tempore postulanti reo negari non oportet, ff. de Q. 2.* non solum, cum iudex ex officio: sed etiam, cum ad instantiam partis, inquisitionem adversus illum promoventis, vel accusantis, procedit: dummodo collusionis & subornationis suspicio absit, Panormit. *in c. Fraternitatis cit. n. 4.* Farinac. *l. cit. n. 107.* & Barbosa *in c. Ex tenore 35. n. 10.*

Tertiò, in aliis etiam causis, quando prius receptæ attestationses sunt perditæ; cum paria sint non esse, & non apparere, *l. Duo sunt 30. ff. de Testament. Gaill. Lib. 1. observat. 105. n. 4.*

Quartò, si, cum de præiudicio publico non agitur, in eorundem vel aliorum testium super iisdem articulis receptionem consentiant partes; cum hæc pro se introducto iuri valeant renuntiare, *cit.* Panormit. *n. 4.* Gaill. *n. 14.* Farinac. *n. 179.* & Barbosa *n. 15.* ubi alios casus dabit.

A a a

TITU.